

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Carmina lugubria in obitum Magnifici et nobilissimi Viri,  
Dn. Henrici Coleri, Consulis liberae ac imperialis  
Reipublicae Lubecensis primarii, anno 1641. 27. Martii,  
hora 10. vespertina placida morte ...**

**Colerus, Heinrich**

**[S.l.], 1641**

**VD17 VD17 125:046326W**

[urn:nbn:de:gbv:45:1-704678](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-704678)

# Carmina lugubria

in obitum.

*Magnifici & nobilissimi*


*VIRI, DN.*

HENRICI  
COLERI,

Consulis liberæ ac imperialis Rei-  
publicæ Lubecensis primarij, anno 1641.

27. Martij, horâ 10. vespertinâ placida  
morte ex hac vita evocati.





**Farbkarte #13**

*B.I.G.*

Cyan    Green    Yellow    Red    Magenta    White    3/Color    Black





**M**E quoque, ne frustra Lubeca vivere dicar  
Communi in luctu, iuvat istos funderè fletus,  
In prematuram dilecti consulis urnam,  
Quo nil splendidius, dum dulcis munere vitæ  
Ipse fruebatur, dià in virtute micabat,  
Nil prorsum à solida pietatis laude remittens,  
Ante alias etenim res ipsi maxima cura  
Pax erat, & sacrata fides, & purus a vitæ  
Relligionis honos, & veros tradere cultus  
Omnibus, officij ratio quos chara iuvabat,  
Non fucatus erat, solidi sed cordis amator,  
In factis idem, quem se promiserat ore,  
Non; aliis veluti cedit fallacia lucro,  
Qui summæ hoc artis ducunt, se posse bilinguem,  
Fingere pro nutu, quasi sit sapientia prima,  
Si benè te noscas per ver sum prodere Judam,  
Longe is quid propius pensabat acumine, & omni  
Cause intendebat nervos, seu publica consul  
Et patrio populi curaret corde salutem,  
Seu cuperet melius funestas tollere lites,  
Ac mulcere animos dictis, & pectoris iras,  
Seu pœnas aliis, & præmia pendere dignis.

Gratius haud illi poterat contingere quicquam,  
Quam si florent urbis commercia, & Hanse  
Auctio quaedam addi posset, sub divite censu,  
Ex quo quisq; boni quid promere posset egenis.

Nulla etenim virtus proceres magis elevat, ipso  
Sive hos equiparat caelo, sive inserit astris,  
Quàm summis populos meritis cumulare, nec unquam  
A sese indignum opis tristi dimittere vultu;  
Quod consul noster vidit satis, atq; secutus,  
Sic fuit, ut nulli foret ista in parte secundus.  
Hinc annis etiam gravior non destitit antè  
Imperij summo versare negotia nisu,  
Quam vita exhaustum, de pasta lampadis instar,  
Deseruit; si fas sic dicere, quando caduce  
Pro vita fragili cursu nunc vivit Olympo.  
Fama tamen vivet mundo pars enthea Christo.

Sed quid ego ista sequor? vos chari ignoscite Ma-  
nes,

Et vos, ô proceres, studiis ignoscite nostris,  
Si brevia aeternæ nimium compendia laudis  
Instar araneoli tenues propera vimus orsus;  
Si vires laudare vetant, culpâq; veremur  
Deterere ingenij tantos frustrantis honores;  
Sit lugere satis, curasq; medullitus acres

Pro-

*Promere in invidiam lethi crudelis, amici  
Dum tanti officii careo, respublica tantum,  
Dumq; afflicta malo columen desiderat ævo.  
Qui tamen hunc vivum devotâ mente colebam,  
Prosequor ingenuo durissima funera planctu;  
Quod licet: at vivum memori sub pectore servo.*

---

*Σχόλιον lugubre*

*Quum obitus Dn. Consulis ex insperato 28. Martij  
mihî annunciaretur primo diluculo.*

**Q**Uur me contineam lacrumis, dolor usq; dolorum

Dum me conscendit? flere quis haud cupiat?  
Audio, decessisse virum, qui primus amicos,  
Inter summos, mî semper in urbe fuit.  
O Lubeca, tuas mecum deflere procellas  
Non sat jam poteris! sis nemor heic moniti.  
Ipse etenim novi, quem nunc amiseris inter  
Imperij proceres; quæ tua lux fuerit!  
Quis bonus hortator populo, virtutis & auctor,  
Omnia curabat legis amore geri.  
Integer in factis cupiebat ubiq; notari,  
Nec poterat fidei fallere verba suæ.

† 3

Quæ



Quæ non voce ejus potuit discordia vulgi;  
Qui non mulceri sub pietate furor?  
Ingenij vis prompta illi, felixq; laborum,  
Judiciiq; pari dexteritate potens.  
Undiq; pacis amans, pacem sectarier almam,  
Pax illi in votis aurea semper erat.  
Ergò mæsta sibi meritò hunc lugebit ademptum.  
Patria, tam proprium vix habitura patrem.  
At quanto melius populis potiusq; fuisset,  
Vixisse hunc Pylij tempora longa senis!  
Qui potis est mecum lacrymas effundere, fundat;  
Quiq; rigare potest, irriget imbres genas.  
Pænitet atq; dolet, quod non extrema locutus  
Jam tecum fuerim, chare COLERE; piget:  
Pænitet atq; pudet, sic nos conjunxerat antè  
Mutuus unanimis candor amicitiaë.  
Tu nunc jam mundi superasti maxima damna,  
Quæ nobis posthac sunt toleranda magis.  
Quas etenim clades, quæ dura pericula belli  
Cernimus ante oculos; Tu modo nulla vides.  
Sic nunc præreptus gaudes in lumine læto  
Cœlestis vitæ; turbine nos premimur.  
Ah utinam nobis esset concessa facultas,  
Tecum migrandi nulla foret remora.

Quid



Quid prodest etenim tantis succumbere curis  
Usq; diu, in vicibus quas patimur variis?  
Consulis officium cum summo laudis honore  
Ritè peregisti, ceu probat ipsa fides.  
Freudeat heïc livor, clangat contraria, quisquis  
Obgannire tuo gaudeat heïc decori.  
Prodeat in causâ justâ, qui jure queratur,  
Arbitrio se nîl obtinuisse tuo.  
Nemo negare valet, quod tu non egeris urbi,  
Et patriæ patrem, vel columen stabile.  
Exemplis possem sat confirmare locutum,  
Ni pridem in populo cognita plura forent.  
Sed mihi dum vocem præcludit luctus; amoris  
Saltem hujus signum promere nunc volui.  
Perpetuò nemo vivit, rapit omnia lethum,  
Fluxa obeunt; pereunt lubrica; cuncta cadunt.  
Tu præcessisti, nos cras, vel luce sequemur.  
Hac propius; mortis proxima cuiq; via est.  
Cogitet hoc quivis, seu Rex sit, sive colunus;  
Est semper lethi proxima cuiq; via.  
Sic istud tandem miseri concludimus ævum,  
Ac capit, ut vixit, præmia quisq; sua.

*mærens mem. f.*

J. A. à VV. J. C. C. & S. C. M. p. t. L.  
Sym-





Fœderis Hansatici caput, ô Lubeca, decusq;  
Saxonici prælustre soli, Urbs celebrata per orbem,  
Et quâ oritur Titan, & quâ descendit in undas,  
Eheu! quantum iterum & quàm levo tempore vulnus  
Parca tibi inflixit! crudelis Parca COLERUM

Quæ servâ sicelice tuum demessuit, atq;  
In capite hoc te tot spoliavit dotibus uno,  
Quod facile haud possit quisquam comprehendere versu.

Namq; Atlas erat illi tuus, quo haud promptius alter  
Supposuit cervicem oneri, neq; fortius omnem  
Sustinuit molem curarum, ac dura laborum  
pondera, quos augusta affert Respublica secum.

Ille tuus Palinurus erat, celsa usq; magister  
Puppe sedens, clavoq; etiam nocturnus, in herens,  
Ut velut è speculâ casus hiemesq; futuras  
Possit prospicere, & turbantibus æquora ventis,  
Fluctibus è mediis in portum appellere navem.

Ille tuus quoq; Nestor erat, qui divite fandi  
Venâ & consilij maturâ ope civica jura  
Et libertatis nulli equiparabile donum,  
Et leges, priscosq; tibi servavit honores.

Atq; utinam funesta illi quoq; Nestoris annos  
Morborum seni q; expertes Parca dedisset!  
Non hostis peregrini unquam te injuria, non te

†

Inti-



Intima turbaret scissâ Discordia pallâ.  
Ille repentinos poterat sedare tumultus,  
Consilioq; bono nutantes flectere cives.

Non erat ille quidem titulo atq; insignibus auctus,  
Dira Astræa, tuis: sed multos ille tiarâ  
Insignes inter Variarum laude micabat  
Disciplinarum, velut inter clara minores  
Luna micat stellas, quando sua lumina terris  
Explicat & pernox toto jam corpore lucet.  
Quicquid enim in doctis positum est memorabile chartis  
Quas vel Romulidæ prisce, vel Græca vetustas  
Edidit, ille avidâ perceptum mente tenebat.


Sed nunc ille jacet, vitæ lumine cassus,  
Proh dolor! atq; illud nuper venerabile corpus  
Vilis arena teget: nunc pectora diæ COLERI,  
Illa augusta domus virtutum ac nobile templum  
Doctrinæ omnigenæ, posthac indigna jacebunt  
Vermibus esca avidis. At non tamen illius ossa  
Qui tegit, idem etiam nomen lapis obteget: Illud,  
Quacumq; immensi patet ingens machina mundi,  
Fama volans niveis tollet super æthera pennis,  
Ille sum & seros transmittet ad usq; nepotes.

Hæc TRAVA, & rursum se gurgite condidit imo.

JOHAN. KIRCHMANNUS.

A 70.





Ἀποστροφή πρὸς πόλιν, ἔπιλιτας τῆς Λυβηκῆς, ὑπὲρ θανάτου  
ἐνδοξοτάτου τῆς ἸΠΑΤΟΥ.

**Ν**ῦν, ὦ ΛΟΥΒΗΚΗ, τείρομαι πειθεῖ λυγρῶ  
ἔστι χρονον, τε καὶ βλεφάρων νῦν δάκρυα βάλλειν:  
Κυδον ἰδὲ πόν ἀκρότατον, καὶ ἀχρετον ἀλήκη,  
Ζωὴ ἐρίζω, ἔχρηπότης πολυγαθῆς

Νῦν ἔπεπεν, φρονίμως σώζουσα τὰ κοινὰ, καὶ ἀσέβη.  
Κηεὶ δαμείσ θεμισ ὄν γλυκερῶ μαιώσαστο μαζῶν,  
Ὅσφτεροῖς ἀσπίσι δίκην ἰθείαν ὄρεξε,  
ἔπνι ἦρα φέρων, ἐρρύσαστο πάντα ἀθῶον,  
Καὶ πινῆσι κακῆς αἰκίσαστο ἀμωπλακιάων  
Δάλην: μά ἸΠΑΤΟΣ ἴαίει τε περίφραν.

Νῦν ἔπεπεν γενναῖον ἀνῆρ, βωμῶ ἀγίοιο,  
ἡμετέρης τε χολῆς ὁ προαπιστῆς καπὶ τεχνο:  
ἠδὲ δόποτμοπατῶν μετανασῶν, τῶν δὲ πενήτων  
Κρησφύγετον τό ἔποιμον, καὶ ἄρεπῆρ πολύδαρτον.

Νῦν ἄρα, ὦ ἈΣΤΟΙ, δόπορῶσι πσοσπίοιο  
Ἀνδρῶς τ' αἰώζην, βαλέην τ' ὀπὸ δάκρυ παρειῶν  
Ἄμμι χρονον πέλετιν: σοὶ δ' ὦ Βηληφῶρε ἄνερ  
Γηθῆσθ, ὄπησυχῆς ἔτυχες μὴ ἐέσσης

Ἄϊεν, παμμεδέοντε θεῶν ἐν ὀλύμπῳ ὀμιλῶν.  
Ἄντῆρ σ ἔπαμένων ὀλοῶς ἀνίας θεοῦ πενε  
ὦ θεῶ κρηνογῆς ὀρῶκ ὑψίσσιο πικῆ:  
Σῶζε εὐ τῆς πολιτευσόμενης τε πόλιν περίβαπην,  
Ἀρξαλέον πόλεμον, ἔσσης τε κακῶς ἀπάλαλκε.

Τῆς συμπαθείας, καὶ Ἰεραπείας ὠφειλη-  
μένης ἐνεκῶ ἐγροφῆ

M. SEBASTIANUS MEIER,  
Lubec. Scholæ patriæ Prorektor.

Qualis



Qualis ubi sociâ vitis divellit<sup>r</sup> ulmo,  
Cujus fulta diu luxuriarat ope,  
Proclinata suis subsidit ad ima racemis,  
Marcida languenti & vertice pulsat humum:  
Sic urbs visa diu felix, nunc mæsta LUBECA  
Consulis erepti publica damna dolet,  
Occasum, COLERE, tuum, qui vivere dignus  
Semper & humanis altior esse malis.  
Te gnatae plorant, te parvula turba nepotum,  
Uxori lachrymæ largius imbre fluunt,  
Quid memorem reliquos consanguinitate propin-  
(quos?  
Hei mihi, flet cuncta urbs clamq; palamq; gemens.  
Cujus onus quondam cælesti mente ferebas,  
Cujus præsidium & murus ahenus eras.  
Quid mirum, si nostra etiam mens obsita luctu est.  
Solus ego in tanto vulnere fortis ero?  
Fallor? an orbari te sanctum Astræa tribunal  
Luget, & ipsa Themis signa dolentis habet.  
Et Phæbus pater & Charites, cætusq; novenus.  
Annos nam puero perpoliere rudes,  
Quô fieres Latiae scitis linguæq; Pelasgæ  
Sic, ut non multos sit reperire pares.  
Nec studia hæc biberes, juvenum de more sinistro  
Qui, fugiens Nilo ceu canis amne, bibunt,

Ma-



Maturè hæc percepta tibi: dein juris alumnum  
In penetral mittit te Themis alma suum.  
Monstrat & ancipitis nodos dissolvere legis,  
Quis licito finis quis vetitoq;, docet.  
Deniq; ventosâ licet ambitione careres,  
Publicus es patriâ lectus in urbe parens.  
Quæ, si cuiquam alij, vitæ quem pausa secuta est,  
Fata cupit rursus posse novare tibi,  
Fertur ut ad superos revocasse Coronide natus  
Diversis raptum curribus Hippolytum.  
At quid profuerit longi querimonia luctus?  
Iacta vel in superos aspera verba Deos?  
Cum functus lachrymis non sit revocabilis ullis,  
Cum non sit leges flectere, Morta, tuas.  
Nam mortalis erat; fuit ire necesse creato  
Propositam cuivis irreducemq; viam.  
Et benè habet: fælix etenim non sentit olympo,  
Ad nostrum agglomerant quæ mala cunq; latus.  
At tu, summe DEUS, reliquum tutare Senatum,  
Communiq; diu fac studuisse bono,  
Consilijq; facem, Pharos ut Nilotica, luce  
Quò rectum in teneberis usq; sequantur iter.  
Et patriæ curam nunquam dimitte tuendæ.  
Sic erit in laudes illa diferta tuas.

JACOBUS KÖCRERT Subrect.



Ad  
Virum Clarissimum

M. HENRICUM BANGERTUM,

Scholæ Lubec. Prorectorem dignissimum,

beatissimis manibus Magnifici & Nobilissimi VIRI

Dn. HENRICI COLERI

memoriter parentantem.

**D**Um BANGERTE, sacra decus immortale Mi-  
nerve,

Manibus HENRICI CÖLERI, Consulis olim,

Lubeca eximij, & digni, qui Nestoris annos

Vixisset Patria, solemni more parentas:

Alter, crede mihi, jam crederis esse Prometheus,

Quod cassis vitâ valeas quasi gignere vitam.

Namq; tua excellens, præstansq; oratio, veris

COLERUM elogiis, vivoq; colore & honore,

Tam benè depinxit, tam pulchrè ornavit, ut ille

Mortuus, in vitam posset revocatus haberi.

Immò is adhuc vivit famâ, quæ splendida nullo

Interitura die est: quia erat Vir sanguine clarus,

Ingenio magnus, pietate insignis, honore

Summus, consiliis felix, gravitate verendus,

Iustitiæ & juris, Legumq; immotus amator,


Communisq; boni magnus promotor & altor.

Ergò



*Ergò ejus vivam plus plusq̄, extendere famam,  
Quod, BANGERTE studes, Vir Præstantissime, dignum  
Laude opus ostendis. Nec queso postmodò cessa,  
Perpetuas sanctè defunctis condere laudes;  
Quando etenim panges aliis encomia, eâdem  
Efficies operâ, ut quoq̄, te super æthera tollas,  
Et tua laus totum vivat sine fine per orbem.*

Daniel Lippius, Scholæ Lubec. Collega.



**I**llustres animas, postquam compage soluta  
Corporis emigrant, complexu purior æther,  
Excipit, & claro venientes lumine cingit.  
Ante alias Proceres magni, quæis prisca tueri  
Iura patrum, ritusq; sacros, legesq; sacrorum.  
Cura fuit, tenebris pulsus in luce serena  
Fulgent, quæ vincit solem, cum mane recenti  
Ambrosium nitido spirans de vertice odorem.  
Terrigenis lucem fert ac sua gaudia terris.  
Hos inter Proceres se immiscuit æthere cæli  
Iam propiore fruens Colerus, & arduus intrat  
Cum sociis Pæana canens, quo magnus olympus  
Personat, alterno ac fremit ingens Regia plausu.

In-

Interea querulas jactavit clara Lubeca,  
Voces, ereptum, qui tanquam maximus Atlas  
Sustinuit molem, ac humeris nutantia fulsit,  
Pondera, ita ut staret recto Respublica talo.  
Plorarunt cives, urbis clavo Palinurum,  
Avulsum, qui inter fluctus tumidasq; procellas  
Navem consiliis flexit, ne flatibus austri  
Ludibrium unquam deberet, cum cærule Nereus  
Turbat, at è mediis scopulis enaret & undis.  
Hunc si olim Phrygio Danaæ sub litore classes  
Vidissent, Danaï tacuissent Nestora vates.  
Alta superbivit si quondam Sparta Lycurgo,  
Iura suis dando, quo non prudentior alter;  
Cæsaream aut Consul COLERUS legibus æquis  
Rexit Lubecam, & sacras traducere vitam.  
Ad leges docuit, recti ac custos vigilæ qui.  
Illius inde decus nomen, laudesq; manebunt,  
Donec fulgebit roseis aurora quadrigis,  
Atq; ruet sero declivis lumine vesper.

*Justus Tribbecho*  
*Schol. Lub. Collega.*

HEN-





**H**ENRICO COLERO, Audi-  
tores, Consuli quondam imperialis  
& liberæ Lubecæ primario supre-  
mum humanæ conditionis honorẽ celebra-  
turi convenimus. pium, sed magnum officium :  
pium quidem, quia id viri exigunt à nobis  
merita : magnum, quia magna prodignitate  
laudare difficile admodũ. Neq; enim ingrati-  
tudinis suspicionem effugere posse ullo pacto  
videbatur, si viro, qui mortalis cum esset,  
ita vixit, ut immortalem sui memoriam omnibus  
reliquerit, eas laudes nostra invidet oratio,  
quas ipsi & vivo & mortuo incredibili consensu  
tota hæc respublica, & magna Europæ pars  
semper tribuerunt, tribuentq; quãdiu virtuti  
sua constabit honos: virtutem autem excellentissimam  
& res pulcherrimè gestas orationis stylo sic velle  
describere, ut vel satisfiat iudicio & expectationi  
illorum, qui ipsum vivum viderunt, vel ut rebus  
respondeat oratio, viri nimium audacis, & hominis  
è statione mentis moti esse non immeritò videatur.  
HENRICO COLERO, viro

A

divi.



divinarum & humanarum rerum scientiâ instructissimo, nunc parentamus. Ergone etiam in illos morti dira vis concessa est, qui ut supra vulgus saperent, nullam vitæ suæ partem à studiis vacuam esse passi sunt, & insatiabili discendi cupiditate eam in omni genere scientiarum feliciter consecuti sunt cognitionem, quàm multis aliis, quamvis non infelicibus ingeniis, optare facilius, quàm adipisci detur? ô improbas mortalium curas! ô studia, laborum plenissima, & tamen diligentissimis suis cultoribus vitæ terminum non tantum non extendentia, sed quantum in ipsis est, quoquo modo accelerantia! HENRICO COLERO, capiti hujus urbis, quæ ipsa Hanseaticarum urbium caput est, iusta solvimus. Ergo ne quidem illi à mortis sunt tuti spiculis, quos immortales esse propter virtutem conveniebat: quibus reipublicæ habenas moderantibus salva omnia atq; in tuto? quos cives, quos senatus, quos exteri, quos hostes ipsi amant & venerantur? Luximus virum, cum moreretur, qui propter insignem pietatem & stupendam eruditionem mori non de

debuisset videri omnibus poterat: doluimus  
nostram vicem, quod magnum praesidium  
& ornamentum huic urbi sublatum intelli-  
geremus; nunc tamen si idem animis omnium  
infixus haereat dolor, ut singulorum sine af-  
fectu testantur voces, semperque haesurus sit, ut  
verae gloriae natura postulat, tamen resedisse  
ille haec hactenus paululum videtur, non quod  
virtutis ejus ulla possit unquam subsequi a-  
pud mortales oblivio, sed quod benignissi-  
mus Deus vulnus, quod hujus morte rei pub-  
licae inflixerat gravissimum, per alios viros,  
in ejus locum surrogatos, qui consiliorum  
suorum gravitate, atque prudentia tanquam  
Atlantes quidam hanc civitatem nunc fulci-  
unt, non lenire tantum, sed sanare etiam non  
dedignatus fuerit: recrudescit tamen subinde  
dolor ille, quoties in mentem venit tam exi-  
miae virtutis, & quia aliter non potest, in fle-  
tum erumpit, quod putet, mitigatum se iri, si  
proferre se & exire in faciem sibi liceat. Quod  
enim in magnis malis accidere nobis vide-  
mus, ut primum quidem cor calamitatis a-  
cerbitate praecclusum singultiat tantum, &

muffitet dolorem : deinde lachrymis profusis conetur medicinam ei adhibere: deniq; ad querelas conversum voce & oratione exonerare altè infidentem gestiat: idem videlicet in hujus morte nobis omnibus contigit. Nam primò quidem inopinatifsimus ejus ex hac vita discessus cor ita nostrum constringebat ægritudine, ut erupturus fletus prohiberetur, quòd domestica mala, quæ vox olim Pfammeniti in acerbissimis suorum funeribus fuisse dicitur, præsertim cùm pater patriæ optimus occubuerit, majora sint, quàm ut fleri queant : flevimus deinde virum, cùm eum è sua domo, quæ hætenus miserorum omnium fuerat refugium, ad tumultum comitaremur: nunc æger animus, nondum expletus satietate lugendi, etiam ad querelas confugit, ratus lamentando se & voce mœstiam testando levamen aliquod sibi super tanti viri morte reperturum. Quanquam si vitam COLERE tuam respicio, quid de morte tua dico? non enim mors putanda est, ab itio ex alto dignitatis gradu ad supera cœlitum regna: mors dicenda non est præmiorum pietatis

tis



tis & virtutis felix adeptio. Nontē mortuum tunc esse dicam, cū ex rebus his fluxis & caducis ad illa splendida & sempiterna cœlorum habitacula, quæ semper animo atq; tota cogitatione spectaveras, læta mente commigrasti: non extinctum te putabo, qui dum vixisti, ita vixisti, ut ex hac mortalitate ad vitam nullis unquam finiendam seculis perveneris. Ad vos redeo, A. omnium ordinum honoratissimi; vobiscum agam de viri nativitate: vita: morte. simplici orationis genere enarrabo de ipso, non quæ vos omnia expectatis, sed ad quæ describenda humilis meus stylus assurgere poterit. Scio non vultis, ut supplicem auribus vestris, ad audiendum me benignè, de tanti viri laudibus quædam balutientem, quòd intelligam, si etiam incondito dicendi genere usus fuero, tamen vos viri incensos amore benevolas mihi aures duros; hanc modò culpam deprecabor, ut si concisiùs de innumerabilibus defuncti laudibus dixerò, quàm aut vos volebatis, aut ipsius virtus postulabat, ne indignemini, sed illud meæ in dicendo inopiæ, hoc lau-

laudum ipsius tribuatis amplitudini, quas  
nulla, scio, oratio plenè complectetur. Quare  
nolite ex iis potius, quæ à me dicuntur, quàm  
quæ à vobis ipsismet sciuntur, laudum ejus  
magnitudinem metiri; sed hoc agite, ubi-  
cunq; meam orationem in rerum enumera-  
tione deficere intellexeritis, quod multoties  
futurum animo prævideo, ibi vos mentibus  
& cogitationibus mihi succurrite, atq; supple-  
te ea, quæ melius novistis, quàm à quoquam  
audire potestis. Ut enim difficile nimis  
est, unum hominem multorum celerius di-  
ctantium voces simul scribendo adsequi: sic  
unum dicendo velle exprimere omnium  
istorum sermones, qui de COLERO nunc  
feruntur, sit hominis plus muneris suscipere  
conantis, quàm quantum præstare possit.  
Nec ego nunc tam laudator videri debeo,  
quàm publicæ laudationis, magno consensu  
à bonis omnibus profectæ, quasiq; mihi di-  
ctatæ, scriptor publicus paulò diligentior:  
nam quod nos nunc facimus, singuli cives  
facerent, si per vitæ suæ institutum id licere  
sibi putarent; quanquam illi omnes admira-  
bi-

bili animorum conjunctione id faciant, cum  
quas COLERO publicè laudes dicimus, illi ei-  
dem intra privatos parietes certatim tribu-  
ant: nemo unquam nisi honorificentissimè  
eum appellat, nec quisquam memoriam ejus  
usurpat, ut non simul multarum & magna-  
rum virtutum Consulem amisse Lubecenses  
conqueratur.

A te igitur clara Lubeca, quæ tam gene-  
rosam mentem genuisti, fovisti, nutriisti, or-  
nasti, atq; ad id honorum fastigium extulisti,  
supra quod apud te adscendere non datur,  
exordiar, sed ita, ut solum nomen tuum cla-  
rissimum huic sermoni meo præmittam.:  
Nam si virtutes commemnisse velim tuas, si  
cætera, quibus præ aliis Europæ urbibus ca-  
put effers, non modò verendum mihi, ne  
obscurari potius humili mea dictione,  
quàm illustrari tibi contingat, sed et-  
iam, ne quid auribus illorum patriæ Proce-  
rum, qui nunc augusta sua præsentia hanc  
Musarum ædem complent, dare videar, quod  
vitium non tam fugi semper, quàm ex animo  
detestatus fui. Hoc tantum dico, ut patria,  
cele-

*COLERI  
Patria.*



celeberrima etiam, homini à nulla virtute instructo parum commendationis adfert: sic ei, qui Lubeca patria gaudet, à natali solo fortissimum addi calcar ad recta sequenda & magna gerenda, atq; ad patriæ claritatem factis suis & rebus gestis adæquandam. Quid enim est Lubeca nostra nō dicam in inferiori hac, sed tota Germania, imò fere in omni Europa celeberrima? quæ urbs est Germanicarum urbium, quæ apud exteros majori commendatione justitiæ, & forma reipublicæ secundum singulas suas partes laudabiliori clueat? Dicam quod sentio, A. quoties apud exterarum nationum nomen hujus civitatis, antequam videre mihi eam contigit, alicujus sermonibus usurpari audivi, toties altera voce confestim ejus succinebatur encomium, ut sæpe illa iterari audirem: optimam illam Lubecam, in qua videas homines antiquis moribus & fide, qui illis vitiis abstinent, quibus pleriq; populi in pace viventes felicitatem suam perdidere, factum dico, luxum & injustitiam. Iam verò quod poterat COLERO majus incitamentum ad virtutem, quis acrior stimulus ad gloriam



riam admoveri, quæ dignior causa dari, ad  
illud ingenium ingenuis artibus & sapien-  
tia instruendum, quod ipsa natura ad o-  
mnia magna produxisse videbatur, ,  
quàm tanta patriæ commendatio? Præ-  
fertim illo tempore, cum nondum quic-  
quam de veteri illa & germana fide atq;  
virtute remissum videri posset. In hac <sup>Nativitatis</sup>  
urbe natus est COLERUS, viii. idus Apri- <sup>annus.</sup>  
lis, anno à salute humani generis repara-  
ta millesimo, quingentesimo, septuagesi-  
mo & sexto. Scilicet ejusmodi is annus  
erat, in quo DEUS T. O. M. dilectam no-  
stram Germaniam aliquot insignibus be-  
neficiis ornandam putabat: ut enim tum  
amplissimæ huic urbi COLERUM nasci vo- <sup>IV. id. octob.</sup>  
lebat, sic felicissimis auspiciis imperio Ro-  
mano Imperatorem dabat prudentissi-  
mum & pacis studiosissimum Rudol-  
phum II. qui etiamnum imperaret, si  
hominum vota & preces fatorum neces-  
sitatem sufflaminare valerent. Summi  
verò beneficii loco habendum est, quod  
eodem anno singulari Dei curâ pro eccle-  
B fia



sua sua nobilis Germaniæ academia, quæ à fundatore suo laudatissimo Julio, Brunovicensium Duce, Julia dicta est, simul nata, & hujus filii Henrici Julii primo Rectoratu inaugurata, munificentia ejus & successorum liberalitate nutrita innumerabilem doctorum virorum sobolem genuit: nam ut omniscius Deus illam redeunti & imminenti iterum in linguis & artibus barbariei & theologicarum rerum inscitia voluit opponere: sic COLERUM contra atrociam ista Germaniæ fata, quæ illam expectabant, mittere statuit, ut ipse in tantis ejus turbis Dei præsidio & consiliorum suorum gravitate Lubecam tutam præstaret. Illustrior adhuc hic annus reddebatur memorabili illo & nulla ætate intermorituro Principum, & Theologorum Augustanæ, invariata illi, Confessioni addictorum facinore, quod tum formulam concordia, hæresium & sectarum deliriis oppositam, summo animorum consensu, primum scripto complexi sunt, & quadriennio post typis vulgatam toti mundo exhibuerunt. COLE-



COLERUS eo anno datus huic urbi,  
quo alia magna data Germaniæ, ut patri-  
am habebat celebrem: sic parentibus non  
honestissimis modò, sed clarissimis etiam  
natus est. Nimirum ut ægerrimè eluctan-  
tur ex obscuritate, quos parentum igno-  
bilitas premit: sic in magna felicitatis  
parte ponere debent, si qui parentibus, ge-  
neris nobilitate & virtutum radiis coru-  
scantibus, in hanc edantur lucem, cum hi  
non tantum tenuitate fortunæ non urge-  
antur, quâ multis ad ardua adscendendi  
via præcluditur, sed etiam ex generoso or-  
tu primam virtutis sementem accipiant.  
Nam si etiam quidam sine ulla commen-  
datione majorum propriæ virtutis freti  
subsidiis inclaruerunt, quanto facilius id  
illis putabimus, qui quasi lumen ex lumine  
accendentes clara patrum suorum famâ  
prius innotescunt, quàm ignorari cœ-  
perunt. Pater erat ANTONIUS, vir,

Parentes.

Pater.

si vitam spectes, integerrimus: si eruditio-  
nem, doctissimus: si provinciam, cui præ-  
fuit, honoratissimus. Ita enim evenire

B 2      asso-



Patris.

affolet, ut qualis educatio præcesserit, talis subsequatur reliquæ vitæ actus. Liberaliter enim &, quod caput rei est, piè educatus est Luneburgi hic ANTONIUS à patruo suo Johanne Colero Antistite sacro, quem Præpositum vocant, viro in omni disciplinarum genere exercitatissimo. Hic indulgete mihi A. ut quod in veteri aliqua scriptura testimonium de hoc Johanne Colero, scriptum ab Henrico Bromsio, Equite aurato & Imperatoris Caroli V. Consiliario, legi, vobis audientibus recitè: postquam enim eum nominasset perspicacem & exercitatum hominem, subjungit: Vir erat, dum viveret, utilis, laboriosus, eloquens, prudens, jurisperitus, multiscius. Omnia, quæ de republica urbis Lunaris fiebant, sua industria administrabat. Tanti viri ductu atq; auspicio cum Antonii studia feliciter inchoata, &, confirmata jam ætate, ita aucta essent, ut non infimi subsellii hominem promitterent, progressus inde ad academias est, & ad cognoscendos hominum mores & statuta ad varia loca pere-



peregrinationes instituit. Postquam igitur studiorum cursum in Germania, Italia, Gallia, Anglia atq; Hollandia feliciter confecisset, illustrissimi Borussorum Ducis Alberti primi consiliarius factus, nobili munere aliquot annos magna cum Principis gratia & bonorum singulari applausu perfunctus est. Ut autem oderat omnes, quos juvat, alternis rixarum moribus se atterere & conficere, sic ex animo averfabatur illud impotentis animi genus hominum, qui cum infirmorum offensione, & multarum animarum exitio, contentionis ferram de summis fidei Christianæ capitibus reciprocare non dubitant. Cum ergo tum infelix illud religionis certamen cum Osiandro ortum in Borussia esset, migrare satius judicabat, quàm cum tanta animi molestia, quam piæ mentes ex hujusmodi altercationibus capiunt, odiosæ illius concertationis spectatorem agere. reversus igitur in patriam, quod suspererat vitæ, in honestissimo literarum otio transegit, suos suo exem-

B 3 plo



Mater.

plo ad pietatem & elegantem doctrinam cohortans, verbi verò divini tam sedulus auditor, ut qui nunc reverendi Ministerii est Senior, & tunc puer senem vidit, vir Cl. M. Adamus Helmsius, confirmet, nunquam rem divinam in templo peractam esse, ut ille suo in loco observatus non fuerit. Mater COLERI fuit pietati deditissima matrona & in optimis virtutibus mariti æmula AGNETA, amplissimi viri, & Consulis hujus reipublicæ, dum viveret, optimi Christophori Todeni filia, qui, ut nunc alia sicco pede præteream, quæ magna cum bonorum laude & prædicatione gessit, annos abhinc septuaginta & quatuor, nomine civitatis Lubecæ in celebri illa transactione Stetinensi inter Suecos & Danos atq; hanc nostram rempublicam, quo ipse Imperator Maximilianus II. Rex Galliarum, Sueciæ, Daniæ, Poloniæ, & Saxoniarum Elector Augustus legatos suos miserant, conficienda præclaram navavit operam. Tanti parentis filia dignam se suis majoribus gerens quanta fuerit



fuerit pudicitia, quanta frugalitate, silebimus : neque enim id nunc agimus : religionem eius & scientiam Dei colendi, quæ quamvis ipsi cum multis communis fuerit, tamen illius quasi quendam principatum appetere videbatur, dissimulare non debemus. Quasi familiam nullam regeret, nec curis rei domesticæ, quam tamen summo studio semper administravit, ullis distineretur, ita singulis diebus aliquot horas cum Maria, Lazari sorore, ad pedes JESU sedens piis precibus coram ipso cor suum effundebat : ex pauperum verò inopia operâ & consilio sublevanda præcipuè delectationem petebat : quam consuetudinem non intermisit unquam usque ad annum ætatis suæ climactericum magnum, quæ hujus seculi decimus septimus, & illi supremus fuit.

Quæ piis maritis à sacro vate proposita sunt præmia, illis etiam COLERI parentes, pietate & virtutibus insignes, eximie beavit Pater omnipotens : quatuor namque filios & duas filias genuere, omnes profectò ingenii

Fratres  
&  
sorores.



genii dotibus ( nam de bonis corporis  
quid attinet dicere ? ) præstantes admo-  
dum : filios verò , quos quidem ad eam  
ætatem fata venire siverunt , in qua ingenii  
& iudicii usus aliquis est , nō nisi ad res præ-  
claras agendas & patriam illustrandam na-  
tos. Primus fuit HENRICUS , quo de nūc  
agimus. Secundum CHRISTOPHORUM ,  
& tertium JOHANNEM , magnæ spei ju-  
venes , præmatura mors non passa est ad  
maturitatem educere ingenii fructus , qui ,  
ut in herbis non fallacibus , magni in eis se  
ostendebant. Quarto loco natus ipsis  
est ANTONIUS , qui nunc apice Con-  
sularis suæ dignitatis , & venerando cano  
capite amplissimum hoc auditorium ex-  
ornat ; cuius præsentia si pudori meo id  
concederet , dicerem , quàm & ille ad exem-  
plum majorum suorum DEO duce , & co-  
mite virtute omnia summa consecutus sit.  
Pueritiam ejus & partem adolescentiæ bo-  
nis literis erudiebat Andreas Fritzius , nunc  
J. U. Licentiatus & Oldenburgensium  
Syndicus , focer meus charissimus : pōst ad  
acade-



academias profectus ita optimis studiis & ju-  
diciij maturitate statim inclarescebat, ut quos  
alii anxie quærent viros principes, quibus o-  
peram suam locent, illi certatim de eo sibi vè-  
dicando contenderent. Non enim tam ætate,  
quàm ingenio adultus erat, cum Halbersta-  
denses ipsum suum in causa religionis consi-  
liarium constituerent. Quam dignitatem  
postquam quadriennium summa fide & in-  
tegritate sustinuisset, in supremi judiciij Bru-  
novicensis asesorum numerum adlectus  
est. Interfuit huic collegio annos sex: post-  
ea Saxonix inferioris septennium consilia-  
rius: & annos tredecim Cancellarius egre-  
giacum nominis sui existimatione fuit: :  
simul verò Lubecæ Canonorum Collegij,  
quod Capitulum vocant, Syndicus annos  
decem & quatuor, & nunc biennium hujus  
civitatis Consul gravissimus, quo ut diu su-  
perstite gaudeamus, non aliquam fictitiam  
Parcam, sed summam Dei suppliciter roga-  
mus clementiam. Quas duas eorum so-  
rores paulò antè commemoravimus, harum  
natu major Catharina nupsit Alberto lung-  
hero,

Affines,

C

hero,



Avus  
HENRICUS.

hero, J. U. Doctore, olim consiliario Af-  
seburgico & nobilium Brunovicensium atq;  
Halberstadiensium Syndico, jam Ducis Bru-  
novicensis consiliario, & in urbe ad divum  
Blasium Decano. Altera Agneta Henrico  
Kirchringio, antiquæ familiæ in hac urbe pa-  
tricio, quem superiori anno rebus humanis  
eximebant fata, elocata fuit. Nunc de  
Consule nostro HENRICO dicere & vole-  
bam, & tempus postulare videbatur, si avi i-  
pse, HENRICI, viri in asserenda vera reli-  
gione singulare studium, & cæteræ, quibus  
magnificè coruscavit, virtutes eximiæ atq;  
præclara in hanc Rempublicam merita, me eò  
venire jã sinerent. Cum illius ævo Deus, quæ  
ipsum est in ecclesia conservanda & amplificā-  
da divina gratia, tenebras errorum dispulisset,  
ut anno istius seculi tricesimo primo doctri-  
na cœlestis ab humanarum traditionum cor-  
ruptelis Lutheri operâ purgata etiam in Lu-  
becensem ecclesiã, magno civium applausu,  
reciperetur, veteriq; Senatu remoto novus  
eligeretur, quadriennio autem post veteri in-  
dignitatem restituto optima reipublicæ for-  
ma



ma de integro constitueretur, ipse in prima electione anno octavo & tricesimo Senator factus ita in suo ordine eminere studebat, quasi ipse unus esset, cui nova illa reipublicæ forma, quæ gravi consilio introducta erat, tuenda atq; ornanda esset: primus enim & præcipuus fuit, qui monachorum turbâ dimissa Confessionis Augustanæ invariatae introductionem, ejusdem constantem conservationem, veri & puri cultus divini, atq; Christianarum ceremoniarum in urbe & extra eam in Lubecensium diœcesi institutionem magno pietatis fervore promovit. Nempe cum semel lux veritatis cœlestis majorum nostrorum affulisset oculis, ita exardescabant ad eam complectendam, ut nos sæpe ad illos appareamus frigidi. Nam quasi datâ operâ id ageret, ut omnibus, qui idololatria pontificia abjectâ verum Dei cultum profecerant, exemplum liberalitatis erga literarum studia, quibus puram verbi divini doctrinam conservari, & in pauperes, in quibus fovendis fidem nostram probari necesse est, exercendæ ederet, ita ipse ea, quæ plæriq; in

xum expendunt, aut arcis recondunt, hære-  
dibus materiam sive gaudendi, sive altercan-  
di futuram, pia liberalitate amplis fundatio-  
nibus, stipendiis, uti vocant, constituendis &  
ptochotrophis instaurandis impendenda  
præclare judicabat, quibus jam ab illo tempo-  
re usq; in hanc nostram ætatem multorum in  
literis studia summo cum ecclesiæ & reipubli-  
cæ emolumento, quorum virtutibus aliâs res  
domi angusta obstitisset, adjuta, plurimorum  
autem miseria & inopia insigniter sublevata  
est. Quibus enim parentum egestas sumtus  
ad literarum studia necessarios suppeditare  
nequit, quatuor stipendia legavit, ex quibus  
duo quidem hîc Lubecæ, tertium Luneburgi,  
quartum verò Stadthagæ, in Schaumburgico-  
rum Comitum urbe, exhibetur. Rosto-  
chii autem peculiare collegium fundavit,  
quod Colerianum vocitatum est. In vidu-  
as verò, & alios pauperes, quos præcipuè Ser-  
vator nobis commendat, & in quos quæ con-  
ferantur beneficia, æternis se remuneratu-  
rum præmiis pollicetur, tanta ejus extitit mu-  
nificencia, ut sibi nomen nunquam interitu-  
rum



rum , nobis imitationis exempla reliquerit  
egregia. Nam primùm quidem hîc Lu-  
becæ ædes aliquæ mulierum pauperum habi-  
tationibus dicatæ sunt , in quas illæ , quibus  
probitatis testimonium probi tribuunt, re-  
ceptæ, partim etiam illis rebus , quæ ad victus  
rationem pertinent, annis singulis beantur.  
Memor item divinæ commonitionis , ut vi-  
duarum & illorum, qui orbi sunt parentibus,  
summam curam suscipiamus, Stadthagæ che-  
rotrophium annuis sumtibus non exiguis di-  
tatum instituit. Nondum satis se egisse ra-  
tus insuper legata quædam dedit, quæ quovis  
anno ptochotrophis quibusdam in hac urbe  
numerantur. Et ut liberalissimi viri mu-  
nus explevisse videretur , non de victu tan-  
tum, sed & nuditate pauperum tegenda erat  
solicitus : nam aliam pecuniam, qua quo-  
tannis quibusdam pauperibus vestes paran-  
tur, legato reliquit. Quam fidem autem  
in hujusmodi majorum constitutionibus  
conservandis sæpe in nonnullis desideramus,  
hanc COLERI filii & nepotes in his legatis  
administrandis sanctè in hunc usq; diem ser-  
varunt,

varunt, posteros suos suo exemplo ad hæc ipsa sequentibus seculis ex testatoris voluntate integerrimè servanda commomentes. Quid verò est, ecclesiæ Dei esse nutricium, si hoc non est? quæ veri Christianismi opera, si hæc non sunt? quid esurienti panem frangere, exules domo recipere, in nudis verò vestiendis fidei & charitatis suæ documenta edere, si illud non est? Sed abducit nos longius viri egregij jucunda memoria, quam fortè præstitutum huic oratiunculæ indulget tempus; commemoranda tamen erant, ut quantis parentibus & avis tantus filius & nepos natus sit, non ignoraretis, quòd, Theognidis sententiâ, è squilla rosam nasci non contingat.

COLERI  
vita sub pæda-  
gogo: & in  
Schola patriæ.

Erat ita quidem COLERUS noster utraq; stirpe nobilis, sed multò tamen nobilior propria virtute futurus erat: nam simul acad eam ætatem pervenisset, qua literarum rudimentis imbui primùm tenera ingeniola solent, maturè parentes de liberali filii hujus educatione consilium inibant. Pater liberorum admodum amans hunc tamen præ-  
cate-



cæteris observare, in eoq; bene educando omnes nervos intendere, totum eum virtutis & sapientiæ studio destinare. Et quamvis in prima illa ætatula nonnunquam ipse eum ludendo quasi erudire soleret, tamen ut olim prisci isti prudentes filios, quos non literas tantum, sed & gubernandi rationem discere volebant, in montem Pelium ad illum ingeniorum artificem Chironem erudiendos statim miserunt, ut Achilli Phœnicem addidit Peleus, ut Philippus Macedo admodum puero præfecit magnum Aristotelem: sic ipse actutum HENRICO suo domesticum sive pædagogum, sive præceptorem adjungebat Johannem Mollerum, qui quasi puerum ad summa tantum formandum suscepisset, non vulgari solertia in ejus institutionem incubuit. Cùm ad optimam COLERI naturam tam fidelis accessisset magister, prodebat se maturè præstantis & vividi ingenii indoles. Ita enim & à natura factus erat, & à præceptore pueritia ejus tum instituebatur, ut nihil faceret, nisi honestum, nihil expeteret, nisi quod cum laude esset conjunctum:



Etum : artes verò honestas totò arriperet  
pectore. Præter pietatem autem, quam a-  
nimo ejus assiduis commonitionibus &  
proprio exemplo instillabat, cum sciret, Ro-  
manæ & Græcæ linguæ cognitionem non u-  
tilem tantum, sed necessariam prorsus illis ef-  
se, qui in superioribus artibus tentare aliquid  
cum successu velint, ad utramq; fideliter per-  
cipiendam magna industria eum exercebat,  
ut, cum pater rebus humanis excederet, ipse  
tredecim annorum puer egregiam in utraq;  
lingua scientiam adeptus esset. Tanto pe-  
re juvat erigitq; naturæ & animi bene nati-  
vim insitam recta institutio ! Ego enim  
ita existimo, [credo autem & vos, A. liceat  
mihi nunc per vestram modestiam meam  
sententiam cum vestra conjungere] Ego, in-  
quam, ita statuo, in educatione & institutio-  
ne omnia esse sita. Repetam, &, ut exaudiar  
ab omnibus, clarius dicam, ut & COLERI pa-  
rentes laudem, & nostros quosdam officii  
admoneam: in institutione sita sunt omnia.  
Hanc qui rectam & legitimam, sive casu sive  
consilio, consequuntur, hi progredi inoffen-  
so

Anno 1589.



fo pede in literarum & virtutis cursu possunt,  
& soli, tanquam albæ gallinæ filii, felices pu-  
tandi sunt, qui in felices incidere magistros.  
Quod malum studiis COLERI prosequendis  
mors maturior patris minari videbatur, il-  
lud matris amoliebatur summa in filiis, & præ-  
cipuè hoc HENRICO, probè educandis  
cura & sollicitudo. Cùm enim ipsam mo-  
riens charissimus maritus cum sex liberis re-  
liquisset, nihil ipsa antiquius fideli illorum in-  
stitutione unquam habebat, & non tantum  
viduitatis & solitudinis suæ tristitiam charissi-  
mæ prolis honesta consolabatur institutio-  
ne, sed erat etiam ea summum ejus, quod ha-  
bebat in vita, gaudium, præsertim cùm vide-  
ret, in singulis filiis patrem mortuum quasi  
reviviscere. Quòd verò prudens matrona  
intellexisset, crebras magistrorum mutatio-  
nes haut rarò discentium cursui insignes inij-  
cere moras, ut eâdem institutionis ratione iis-  
demq; præceptis eò solidiora studiorum fun-  
damenta jaceret filius, retinendum hunc  
Mollerum apud se putavit, donec jam brevi  
ad academiam HENRICUM ablegatura ef-

D

set:



set: erat enim is modestus & assiduus, nec paucorum annorum juvenis, cumq; discipulo suo scholam civitatis hujus publicam diligenter frequentabat: dabat namq; illa ætas pædagogos non admodum adolescentes, qui in linguis & Philosophiæ studiis non infeliciter versati abire cum fructu ad superiores scholas poterant. In patrio hoc ludo HENRICUS studiorum suorum ejusmodi dedit specimina, ut quid sibi de eo polliceri patria deberet, haut obscure conijcere liceret. Tanta erat ejus in tractandis bonis literis solertia, tanta in moribus modestia, ut utraq; & Præceptoribus ipsum vehementer se commendasse, & commilitonibus facem alluxisse uno ore testentur nunc grandævi senes, qui tunc pueri cum puero eadem scholæ trivere limina: æqualium illo tempore nullo inferior, plerisq; autem superior fuisse ab ipsis dicitur, & id quidem, quòd rarò videas, cum omnium benevolentia: ut enim judicio ætatem, sic ingenio antecurrebat doctrinam. In Latina lingua puritatem magno studio sectabatur: in Græca verò ita profecerat, ut

in



in extrema pueritia, cum nondum septende-  
cim complevisset annos, conciones sacras à  
mystis ad populum in templis dictas ex eo-  
rum ore Græcè calamo exciperet: Poetam  
verò Æschylum, qui vel exercitatum in Græ-  
canica literatura fatiget, proprio studio, absq;  
interprete, cum fructu legeret: anno au-  
tem ætatis octavo & decimo ad Academiam  
commigraturus, lyceum hoc, cuius tam dili-  
gens auditor hætenus fuerat, oratione ita  
ornata atq; rerum gravitate instructa publicè  
habita valere juberet, ut omnes docti eum  
mirarentur, Gualtperius autem, tum scholæ  
Rector, & ingeniorum accuratus censor,  
multis præsentibus diceret, magnam spem  
patriæ in isto juvene esse repositam. Ita verò  
conveniebat illos omnes præparari, qui scho-  
las regias adire olim cum studiorum suorum  
emolumento gestiuit. Vellè nunc meros Co-  
leros & Molleros haberemus, id est, discipulos  
& pædagogos, qui frequenter unà ad scho-  
lam commearent, & nec disciplinæ fugâ, nec  
præmaturæ sapientiæ opinione decepti do-  
mi delitescerent: sic enim & schola flore-  
ret,

ret, & studiis ipsorum magis consuleretur, & tales viri exspectandi nobis essent, qualem in COLERO amisimus. Quicquid autem hic peccatur, fere parentum sive errore, sive negligentia peccatur: aut enim committunt filios pædagogis domesticis, quorum pleriq; nec ipsi docti sunt, nec docendi rationem noverunt satis, aut mittunt eos ad scholam, haut paulò majori cum cura, quàm pecora Arcadica traduntur pastori. preces, à quibus solis successus ut in cunctis actionibus, sic maximè in literarum studiis, sperandus est, nullæ pro filiis ab eis ad Deum funduntur. Rectius sapiebat COLERI mater, cùm judicaret, ingenij dotes, ad studiorum telam pertexendam necessarias non nisi piis à Deo obtineri precibus. Vivunt adhuc, qui viderunt, quòd quoties HENRICUM suum cum pædagogo mane ad ludum literarium misisset, ipsa ad cubiculum suum properaret, & flexis genibus ardentibus ad Deum preces horam integram diceret. Quid jam aliud futurum erat, quàm illius studia magna incrementa sumere, quem natura ingenio

nio



nio ad omnia capienda aptissimo formaverat, qui ipse cogitatione omni in literas ferebatur, cui mater à Deo vires ingenij & corporis precibus assiduis impetrabat.?

Dignus jã videbatur illis, qui hac de re judicare poterant, ut ad academiã, ubi confirmaret doctrinæ studia, & mores, quos ipsa natura ad omnem venustatem finxerat, ad virorum doctorum præscripta formaret, jam mitteretur. Propterea nec hîc mater in se aliquid desiderari passa, ipsum anno istius seculi nonagesimo quarto de curatorum & cæterorum amicorum consilio Rostochium ablegabat, nec sumtus ullos metuens potius de suo demenso comparcere aliquid volebat, quàm rectam filii institutionem ulla ex parte neglexisse videri. Iacta erat alea, cum in academiã venisset; propterea quò jam in illustriori loco vivebat, eò acrius literarum studiis invigilandum sibi putabat: quo nobiliori excitabatur spiritu, hoc magis contemplabatur animo tot magnorum virorum exempla, quos non nisi virtute & scientiã ad honorum culmina adscendisse intelligebat;

D 3 quem-

vita academiã.



Homer. Iliad.  
β v. 297.

quemadmodum olim Themistocli Miltiadis  
tropæa Persica somnum excussisse dicuntur;  
propterea ipse omni nisu in studia incumbe-  
re, & nihil omittere eorum, quæ requirantur  
ab illo, qui inibi vivat, id est, in ejusmodi lo-  
co, ubi, uti Græcus Poeta loquitur, diu mane-  
re, vacuumq; reverti turpe admodum sit.  
Nobilitabant tum academiam illam cum  
multi clari viri, præcipuè tamen nobilissi-  
mus Jureconsultus Christophorus Sturcius,  
& qui hoc humanitatis officium, quod nos  
nunc COLERO præstamus, præstitit magnis  
& doctis viris. Huic commendatus  
nolebat committere, ut tanti viri institutione  
& conversatione non magnam ad studia fe-  
cisse accessionem videri posset. Cum hoc  
igitur frequens erat, hujus monitis & præce-  
ptis ad sapientiam & virtutem ita erudieba-  
tur, ut ejus operâ atq; imitatione quotidie  
evaderet doctior, prudentior, melior. Sci-  
licet permagni interest, non publicis tantum  
lectionibus audiendis dare operam, sed pro-  
pius etiam in Doctorum admitti notitiam:  
multa enim docet colloquium & communis  
victus



victus tam in doctrinæ studiis, quàm in moribus, quæ publica institutio sæpe non ita commodè tradere potest. Et nescio quo pacto fiat, ut illa acrius penetrent animum, & tenacius hæreant, quæ à viris, qui sapientiæ & virtutis nomine à nobis coluntur, privatim inculcantur atq; suggeruntur, quàm quæ ipsi in concione profitentur, nisi quòd sæpe hæc ex officio, ista ex animo dicere nobis videantur. Hic mihi Cicero cum filio suo in mentem venit. Noverat vir prudens, tum demum filium recto tramite ad studiorum metam posse procurrere, si ad præcipuos lycei doctores ipsi pateret aditus, horumq; privati monitis ad virtutis & sapientiæ templum duceretur, propterea Cratippo, principi istius ætatis Philosophorum, eum commendabat: filius v. talis & tanti viri familiaritate nihil magis è re sua futurum ratus, quotidiano ejus usu & colloquio nihil prius habebat, eique non ut discipulus, (verba ipsius recito) sed ut filius erat conjunctissimus. totos dies cum eo, noctisq; sæpenumero erat partem: Brutum verò, apud quem Latine de-

declamitare instituerat, sicut apud Casium  
Græcè, nullo tempore à se patiebatur disce-  
dere. Atq; utinam Cicero filius idem vi-  
tæ institutum tenuisset constantiùs, sic namq;  
similem filium consul Romanus habuisset.  
Sapientiùs COLERUS, cui quæ studia bene  
inchoaverat, eadem pertexere sedulò, perficere  
verò & absolvere cum laude certum e-  
rat. Propterea & hic Rostochij, quamdiu  
ibi hærebat, Sturcium hunc, & ejus similes,  
per quos proficere poterat, observabat, & in  
cæteris academiis ad optima ingenia se appli-  
cabat, quòd sciret, eò rectiùs & tutius in studi-  
orum cursu se progressurum, quò peritiori-  
bus uteretur ducibus: aliorum autem ami-  
citas & familiaritates, quorum multi studio-  
rumne an consumendæ pecuniæ gratia ibi  
versentur, haut satis sæpe liquet, adeò non  
expetebat, ut haut rarò illorum, qui ipso toto  
studiis intento aut deambulabant, aut per-  
græcabantur, offensas haut leves incurrerit:  
nam quasi minus ingenio posset, quo tamen  
præ cæteris valebat plurimum, ita subsidio si-  
bi diligentiam comparare velle videbatur.

In



In hac academia cùm acri studio simul doctrinæ & dicendi studia coluisset, Philosophiæ etiam fundamenta non infeliciter posuisset, altioribus incumbere disciplinis cæpit, atq; erecto animo ad nobilia illa juris utriusq; scita se contulit, nec prius inde discessit, quàm egregia suæ in illis scientiæ documenta publicâ disputatione dedit. Sic tamen jus in hac academia & in cæteris, quas deinde studiorum gratia visitavit, discebat, ut bonas literas summo in precio semper haberet, & monumenta sapientum, in quibus hætenus totus fuerat, de manibus non deponeret. argumento est, quod non tantum præclaram in illis scientiam nactus fuerit, sed ea etiam omni vitæ suæ tempore adamavit: versabatur etiam in historia omnium gentium & seculorum: eam verò philosophiæ partem, quæ animum nostrum veris purisq; sententiis, imbuat eumq; à pravis & noxiis perturbationibus, à voluptatum illecebris, ab iræ, invidiæ, odij & ambitionis stimulis liberat, eò studiosiùs amplectebatur, quò contemptiùs eam haberi ab aliis videbat. Rostochio ad se attrahebat Co-

E

LE-



LERUM summa doctorum suorum celebri-  
tate Colonia Agrippina, ubi eos, qui almæ  
Themidos studio flagrant, magno cum fru-  
ctu versari novimus. Hic verò ipse do-  
ctissimis quibusq; celerrimè innotescebat.  
Illud enim magnis excellentibusq; ingeniis à  
natura tributum est, non latere magis posse,  
quàm aut ignis ardens possit, aut arx in sum-  
mo monte posita. præcurrit diem virtus  
illorum, & obscuritate illa juvenilium anno-  
rum perrupta emicat, omniumq; oculis se in-  
gerit. Generosus equus, etiam cùm adhuc  
pullus est, erecto collo incedit. Locuple-  
târat & hic egregiè penum eruditionis suæ  
aliquot annis, cùm cæteras etiam Germaniæ  
academias lustrare animum induceret. Ideo  
Argentoratum se conferebat, qui locus & do-  
ctorum famâ semper, ex quo academiam ha-  
buit, illustris fuit, & à suspicione liberioris  
istius vitæ academicæ alienior. Etiam hic  
COLERUS se gesfit sui similem: quem in  
aliis luxum voluptatesq; detestabatur, fugie-  
bat semper ipse sedulo: quòd in plerisq; stu-  
dium desiderabat, ita ipse urgebat, ut deside-  
ra-

ra-



rari in se à nemine pateretur. Cùm igitur  
& hujus academiæ doctoribus aliquamdiu  
dedisset operam, jam ita in studio legum pro-  
fecerat, ut nisi excellere in eo, & nemini se-  
cundus esse constituisset, nunc redire domum  
potuisset, & honorificas patriæ functiones  
non desperare. Sed quod autumaret, non  
sufficere etiam præclaram in jure cognitio-  
nem, nisi & usum ejus accuratè perdidicisset,  
Spiram Nemetū se deportabat, ut disceptan-  
dis quotidie arduis maximè negociis soli-  
diora juris fundamenta jaceret, & omnem ju-  
ris procesum, quem ita vocant, non de nævo  
aliquo aut crepundiis, sed toto corpore co-  
gnosceret. Postquam & hîc omnia ma-  
xima, minima observasset, destinabat animo,  
exterorum quoq; regnorum per Europam  
& maximè insignium rerum publicarum ra-  
tionem & statum pernoscere, quòd rectè gu-  
bernandi scientiam non nisi multis rebus pu-  
blicis diligenter inspectis percipi posse crede-  
ret. Primum igitur anno nonagesimo <sup>Peregrinatio.</sup>  
nono circa sacra paschatis festa relictâ Germa-  
nia Italiam, illam subtilium ingeniorum al-



mam nutricem, petiit. Huc ubi venisset, dubitasles, cujus rei discendæ studio magis teneretur, & in quam maximè proficeret. Legum consultos magno studio audiebat, & quam in Germania juris cognitionem hauserat, mirum in modum augebat & confirmabat. Mathesin verò omnem, quæ & excolitur ibi maximè, & in pretio est, quæ theoriam, quæ praxin, perdiscebat. Quas-cunq; Italia habet urbes vel propter antiquitatem, vel doctorum autoritatem, vel reipublicæ celebritatem insignes, has omnes adibat, & quicquid vel in vetustate, vel in administrationis forma cognitione dignum singulæ haberent, summo studio vestigabat. Bononiæ tam diu subsistebat, quoad sibi videretur spectasse & observasse omnia, quæ liberalis ista studiorum altrix hominibus discendi & cognoscendi studio flagrantibus pollicetur. : Patavii verò, in qua urbe vetustissima ingenuarum disciplinarum officina, Germanæ nationis facultati, ut loquuntur, juridicæ à secretis aliquam diu erat. Et quod prætereundum non est, Italiam se vidisse non  
pu-



putabat, nisi & Romam, caput ejus, vidisset. Venit ergo eò in ipso jubilæo magno, ut non tantùm cætera, quæ isthïc ostentantur, sed & bonam partem idololatriæ pontificiæ usurpare oculis posset. Narravit sæpe, quomodo viderit Clementem, hoc nomine octavum, aureo suo malleo portam divi Petri percutientem atq; aperientem, quem alii secuti, lapides comminuerint; multos autem ad verbera usq; de frustulis contendisse, tanquam certissimis indulgentiarum pro peccatis pignoribus: Papæ etiam effigiem, variis metallorum generibus impressam, in turbam projectam esse, & alias ceremonias usurpatas, quæ jubilæi illius centenarij solennia ad plenam peccatorum omnium remissionem viderentur requirere. Stultitiam mortalium! Româ, regno Neapolitano, atq; Italiæ regione omni planè perlustratis ad cætera regna & loca celebriora transire statuebat. Relecto igitur itinere Venetias & Patavium, cùm inde Mediolanum progressus esset, in Galliã cogitabat. Hïc verò videre licebat, quæ Dei erga suos sit cura, quamq; ex summis pe-

riculis fervet eos, quos patriæ servat. Nam cum novi seculi anno primo, in Septembri mense, comitibus aliquot Melitensis militiæ nobilissimis Hispanis Genuâ Italiæ solvisset, essentq; jam ipsi medio in mari, ecce adsunt ex improvise Turcici piratæ, tamq; hostiliter aggrediuntur navim, qua vehebatur, ut non nisi singulari Dei auxilio truculentissimorum hominum manus effugerint. Sed nondum satis erat, elusisse sævitiam gentis, quæ Christiani nominis confesores ad intolerabilem, & omnibus mortis suppliciis miseriores servitute abripit: nam ipsis jam animo securis mare ita suis insurgebat procellis & fluctibus, navimq; tam vehementer concutibat, ut nec mater filium, nec Lubeca civem suum receptura unquam videri potuisset. Sed qui Scythicæ gentis tyrannidem coercuerat, is nunc etiam furentis maris rabiem cohibet, ut COLERUS ingenti tempestate actus Massiliam tandem salvus appulerit. Tum quicquid ab isto portu Parisios usq; celebrium urbium reperire est, lustrabat. Huc igitur, id est, in doctrinarum domicilium, & commune literarum



rarum museum delatus ad doctores, quos regia ibi & clarissima academia habet, se conferbat, atq; ex fontibus ipsorum uberrimè ingenii campum irrigabat. Post reliquâ Galliâ omni penitus [ verba ipsius sunt ] perspecta, in Normandiam progressus Rotonagum, inde Ambianum, quod est in Picardia, venit: deinde Artesiâ & Monte Hannoniæ, Bruxellis item in Brabantia, ubi aulam habet, qui nomine Hispani illis terris præsidet, visis Antverpiam ingressus est. Post Gandavum, Brugas & alia Flandriæ opida peragravit. obsidioni Ostendæ, quam Archidux Albertus & Isabella ultra triennium magno fervore continuabant, intererat: ex castris illis per Neoportum & Grevelingam Caletum pervenit. Inde trajecto oceano cum in Angliam venisset, Londinium primùm lustrabat, quod caput atq; compendium totius regni salutatur: post arcibus regiis, quarum plures easq; insignes habet, spectatis ad academias progrediebatur; quarum altera Oxonij celebris imprimis, altera Cantabrigæ priori nulla in parte cedens. Hic quàm



Reditus.

Fama.

quàm feliciter istorum populorum, inter quos in ista peregrinatione versatus fuerat, linguas hauserit breviter dicendum. In Italia cùm esset, non tantum illius nationis idioma, sed & Hispanicum ita didicerat, ut altero promptè, altero non hæsitanter uteretur: inter Gallos dum ageret, horum dicendi genus sic perceperat, ut, qui postea eo loquentem audivère, discernere inter ipsum & natum Gallum ægrè possent: Anglorum autem & libros legebat, & literas ipsorum dialecto scribebat. Cùm relicta Angliâ domum tenderet, statuerat in illo transitu reliquas Germaniæ inferioris provincias percurrere, nisi pestiferâ lue, quæ tum omnem istam oram occupaverat, fuisset prohibitus; propterea nave conscensa rediit in Germaniam circa finem anni millesimi sexcentissimi secundi. Tum verò ipse immortalis DEO dignas dicere laudes pro tantis itineribus feliciter confectis: mater pro charissimo reddito filio: cognati pro recepto familiæ suæ decore: amici pro restituto jucundissimo in omni rerum statu oblectamento. Vix redierat, cùm eru-



eruditio ejus insignis illustrissimo Brunovi-  
censum Duci HENRICO JULIO innotesce-  
ret, à quo in controversia illa gravissima, quæ  
inter ipsum & civitatem disceptabatur, con-  
sultus, cum consilium erudito scripto com-  
prehensum dedisset, & quod tam ipsius Prin-  
cipis, quàm civitatis officium esset, si redire  
in concordiam vellent, sine simulatione o-  
stendisset, ita illud prudentissimo Principi  
placuisse dicitur, ut de eo in consiliariorum  
suorum numerum assumendo statim cogi-  
târit, & fecisset, nisi COLERUS ab aulica vita  
alienior patriæ, cui omnia debemus, se serva-  
re, & illius spem non modò non fallere, sed  
superare omnino secum constituisset. Ha-  
bet hoc virtutis spendor, nullo labore sui ad-  
miratores invenit: illa species, inquit Se-  
neca, hominum animis obijcitur à virtute,  
quæ illos in amorem & admirationem vo-  
cet. Cum enim virtutem omnes ament in o-  
mnibus, valet ipsa per se ad benevolentiam  
hominum conciliandam & colligendam.

Ut igitur **Studia** ad rempublicam omnium  
rerum, sine quibus ipsa rectè administrari  
F non

Studia



non potest, accurata cognitione instructus accederet, totum se in literas abdebat, earumque honestissimo perfruebatur otio; si otium dici potest continuus, nec diebus nec noctibus interruptus, non in una scientia, non in legibus tantum & jure, sed in omnibus rebus, quas humana industria sectatur, cognoscendis labor & studium. Quod de Demosthenis orationibus dictum est, eas lychnum olere, idem de COLERI literarum studiis, in quibus tunc versabatur, dici optimo jure potuisset. Toto enim illo tempore, quod caelebs in aedibus maternis, & maritus intra suos parietes in illa contentione exegit, nunquam illum ultra tertiam matutinam indulgisse somno, nec ante multam noctem quieti se dedisse confirmant vicini, qui eum observarunt, testantur amici, qui familiariter ipso usi sunt. Dedit nobis Gellius noctes suas Atticas: quot noctes Lubecenses poterat nobis exhibere COLERUS, si quae fere in omni disciplinarum genere illo tempore congescit, singulis libris communicare nobiscum atque cum posteris voluisset,  
Non



Non persequar omnia minutatim, in quibus tum occupabatur; ea tantum attingam, quæ præteriri non possunt. Atq; ut à linguarum studio exordiar, à quo omnes illi studia sua exordiuntur, qui non tam docti videri, quàm esse desiderant, eam Latinis autoribus legendis in ista lingua cognitionem sibi comparavit, ut & exquisito dicendi genere uteretur, & aptè admodum quicquid vellet, exprimere verbis paucis posset: Græcorum verò linguam ita excoluit, ut & proprietatem & nitorem illius felicissimè assecutus sit, & Græcos atq; Latinos autores nullo linguæ discrimine legerit. Rectè enim statuebat, absq; solidiori Græcarum literarum cognitione neminem unquam viri solidè docti nomen tueri posse: in Hebraica autem, in qua Judaicæ genti divina oracula primùm credita & commissa sunt, ita profecit, ut lacrorum librorum translationes cum Hebræis codicibus conferre, de earumq; fide certiùs judicare posset. Quam autem Philosophicarum rerum scientiam acquisiverat in academiis, eam consummare jam & perficere

in  
linguis.

philosophia

F 2                      priva-



privato studio cogitabat, cordatiùs sentiens,  
quàm illi, qui si ad juris studium applicuerunt  
animum, aut nullam harum rerum cognitio-  
nem necessariam sibi ducunt, aut qualem  
qualem sufficere opinantur, cum ipse senti-  
ret, præstantissimos quosq; Iureconsultos ex  
optimis Philosophis fieri: quòd Ciceronis  
sententiâ juris disciplina ex intima philoso-  
phia haurienda sit, & gravissimo Platonis ju-  
dicio tum deniq; beatæ futuræ sint respubli-  
cæ, si aut docti & sapientes homines eas rege-  
re cœperint, aut qui regant, omne suum stu-  
dium diligentiamq; in doctrina & sapientia  
collocent. Non igitur extremo hæere  
cortice honestum reputans in ipsa philoso-  
phiæ adyta se penetrabat, omnia rimabatur,  
singula excutiebat; cumq; didicisset, quam-  
vis amicus sit Socrates, quamvis amicus Pla-  
to, magis tamen amicam debere esse verita-  
tem, non jurandum sibi, more vulgarium in-  
geniorum, in verba magistrorum censebat,  
sed accuratiùs ipsorum placita rationis lance  
proderabat, approbans ea, quæ rectè posita  
videret, rursus autem convellens, quæ à ve-  
rita-



ritatis tramite declinare intelligeret. Superfunt ipsius manu scripta philosophica, in epistolarum forma ad doctos viros exarata, in quibus, exempli causa, in ipsius philosophiæ divisionem, ejusq; partium constitutionem, in aliarum item rerum, tali ingenio dignarum, veritatem ita subtiliter inquirit, ut non hominem legum studio deditum, & ad rem publicam se præparantem, sed veteranū aliquem philosophum, penitissima quæq; accuratissimè indagantem te audire haut abs re judices. Mathematicas verò disciplinas, quas magno usui in republica esse sciebat, & ad quas exercendas varia & affabrè facta instrumente ex Italia secum attulerat, magna solertia tractabat. Nam illius disciplinæ, quæ patrio solo non contenta longius progreditur, & terrarum ac regionum situm describit, quam Geographiam dicimus, quam fuit callens! Multa ipse in vulgatis illis Europæ tabulis correxit, & accuratiùs dimensus est: quarundam etiam provinciarum delineationem sua manu novam confecit: Bertium suum contrivit legendo, & adauxit

adscribendo. Ex ista verò scientia, quæ de locorum munitionibus agit, quam præclara in munienda urbe his belli temporibus suggerere solebat consilia, ut etiam ingeniosi viri & qui has artes profitentur, uno ore non vulgarem earum intelligentiam COLERO inesse confiterentur. Quoties ipse illorum, si quando de hujusmodi rebus susciperentur consilia, sententias non populari quadam trutina, sed artificis statera examinavit? Sed quò præcurrit oratio, quasi immemor, se de privata vita COLERI adhuc agere? ad museum ejus redeundum nobis, ut reliquorum studiorum ipsius rationem cognoscamus. Non Philologus tantum & Philosophus est: sed etiam historiam omnium rerum & temporum: Principum item genealogias præcipuo quodam studio indagat: Theologum verò, an Iureconsultum dicas, haut immeritò ambigas: nam cùm horum studia ita diversa sint, ut rarissimè ab uno jungantur, ipse in utrisq; ita elaboravit, ut utra magis amplexus sit, non jam ex illorum tractatione, sed ex sequenti vitæ institu-

to

Historia,



to cognoscere liceat. Quis crederet, hominis  
memoriam tam variarum, & infinitarum pe-  
nè rerum capacem esse, nisi id COLERUS suo  
nos docuisset exemplo? quis vestrū, A. qui dis-  
ferentem sæpe audistis, non recordatur, fuis-  
se ipsum in omni antiquitate versatissimum?  
Omnium heroum & excellentium viro-  
rum dicta & res gestas, populorum casus, re-  
rum publicarum vicissitudines, bellorum va-  
rios exitus ita memoriã comprehenderat, ut  
quacunq; de re dicere ingressus esset, ex tem-  
pore de illis, quæ sive in rerum gravium deli-  
berationibus, sive in aliis congressibus & col-  
loquiis ad rem facere intelligeret, magna cum  
auditorum admiratione graviter & jucundè  
narraret. Ut enim præteritarum rerum  
diligens cognitio summum in viro principe  
ornamentum. : sic ipsa ad legitimam reipu-  
licæ administrationem præcipuum præsi-  
- est. Prisci autem isti sapientes nihil  
æque <sup>in</sup> <sup>ante</sup> civitatis rectore require-  
bant, quàm ex <sup>in</sup> præteritis posse judicare  
de futuris. Ut in <sup>in</sup> dirigenda subinde  
ad cynosuram respectus hab <sup>is</sup> est : sic in  
nubli-

publica administratione ad dicta & facta pri-  
oris ævi. Quòd verò historia manca quod-  
ammodo ac imperfecta sit sine Principum  
genealogia cognita, præcipuum quoddam in  
ea posuit studium. Nam licet varios jam  
antè in hoc se argumento exercuisse videret,  
tamen, ut sunt excellentia illa ingenia, & sin-  
gula ad dispositionis & veritatis amussim exi-  
gentia, in nullo horum planè acquiescebat,  
sed methodo planè novâ, labore improbo,  
diligentia admirabili opus genealogiarum,  
in tabulas redactum, ipse confecit, in quo illu-  
stres in Europa familias ab ipsa prima origine  
arcesivit, commonstrans, quæ ipsarum vel  
consanguinitas vel affinitas sit: quomo-  
do quæq; aucta, quomodo imminuta sit:  
quæ provinciæ & regna per quas successiones  
vel in sua familia ad filios & nepotes devolu-  
ta, vel ad alios translata sint. Quod opus qui  
intuetur, & attentius considerat, non potest  
non magnopere laudare in viro discipulum  
dium, suspicere ingenium & ipsius vim acer-  
rimam, mirari laborem tantum ab ho-  
mine multis aliis intento.

Venio



Venio nunc ad theologica viri studia.

theologia

Quasi & de suggesto populum sacra docere, & simul eidem è tribunali jus dicere vellet, ita ad utramq; scientiam se exercebat; eratq; hoc ipsi eò proclivius, quod non neglexisset ea cum plerisq;, quæ sunt theologi studi firmamenta, & quibus solidè positis illud feliciter superstruitur; linguarum studia dico. Harum præsidio munitus ad intima quæq; scrutanda pervenire & studebat & poterat. Frequens igitur erat in lectione Biblica, annotabat, excerpebat, conferebat ipsas sacras scripturas inter se, & cum bonorum autorum monumentis: nihil ita sublime, ad quod acie mentis pertingere sibi non proponeret, nihil ita reconditum, quod investigare non conaretur, nihil ita obscurum, in quo intelligendo non laboraret. Non igitur contentus cursoria istâ, quam ita vocamus, lectione sacrorum librorum, quamq; sufficere istius professionis hominib' etiam docti quidam judicant, jungebat accuratam illam, quâ singula ad originis fidem diligentius examinantur & excutiuntur. Si viro per vitæ ratio-

G

nes



nes licuisset animum ad scribendum appelle-  
re, nil nisi quod à consummato & cultissimo  
ingenio proficisci posset, expectandum ab i-  
pso fuisset. Reliquit sua manu scriptas  
notas ad multa loca biblica, in primis tamen  
ad totum Davidis sacrorum hymnorum li-  
brum, in quibus ad veritatem Hebraicam  
examinat, & cum LXX. interpretum versio-  
ne accurato iudicio confert, quæ discedere in  
aliorum translationibus ab origine ipsi vide-  
bantur. Et quod vel ipsum momum in  
admirationem rapiat, si tamen tanta virtus  
momum habere potuit, in quo argumenti  
genere, eâ quidem methodo, paucos ante  
ipsum tentasse aliquid videmus, ex quatuor  
Evangelistis inter se collatis unam perpetuam  
effecit narrationem, quam harmoniam para-  
phrasticam liceat dicere, dictione quidem ita  
pura & castigata, quæ viri elegantissimum  
scriptionis genus arguat, ordine autem hi-  
storiæ ita studiosè observato, qui iudicium  
eius summum ostendat. Qui autem totus esse  
in contemplatione rerum theologiarum  
credi poterat, is tamen quasi aliud agens illas  
tra-

Jurisprudencia

tra-



tractasse nobis videbitur, si quanto studio juri  
cognoscendo incubuerit, attendemus. Hic  
enim quasi seipsum superans plus præstabat,  
quàm ab unius hominis ingenio exspectari  
fortè debeat. : hæc namq; erat illa scientia,  
cui se imprimis mancipaverat, in qua juveni-  
lia studia occupaverat, in qua academica otia  
consumserat, quâ instructus reipublicæ bo-  
num civem, meliorem senatorem, optimum  
consulem dare volebat. Multa paucis di-  
cam. : Cùm omne genus legum diligentis-  
simè excuteret, totumq; jus scrutaretur, præ-  
cipuè tamen ad publicum cognoscendum,  
quòd illud cæterorum omnium fundamen-  
tum esse intelligeret, se totum dabat. : &  
Politica præcipua quadam industria seque-  
batur. : tum verò & patriæ leges atq; jura  
tantò diligentius investigabat, quantò magis  
illa necessaria sibi, quàm aliarum rerum publi-  
carum statuta putabat. In quibus omni-  
bus quantum profecerit, inde judicare licet,  
quòd, quia & maturitas judicij cum promti-  
tudine linguæ accedebat, nullus locus esset  
sive in aularum judiciis, sive in rerum publica-

rum curiis, cui ipse non optimè præfici, quem non cum dignitate tueri posse crederetur: nulla esset Principum expectatio, quam ipse non implere, nullum patriæ Patrum desiderium, cui non satisfacere posse judicaretur ab omnibus. Celebratum est illud Pythagoræ: Per viam publicam ne ito. Scilicet monet Philosophus, excitata ingenia non acquiescere debere in vulgi opinionibus, sed supra multos sapere. Id apprimè observandum sibi ratus COLERUS, quod in philosophia fecerat, idem in juris scientia factitabat. propterea summa diligentia in juris & legum principia inquisivit; & qua ratione omnis doctrina juris commodissimè disponi & tractari possit, accuratè in quodam scripto docet. In his studiis etiam ad conjugium animum appellebat COLERUS, atque è multis virginem animi & corporis dotibus ornatissimam sibi eligebat ELISABETHAM, quæ patrem habebat virum amplissimum Petrum Gandelsingerum, Holsatiæ Ducum olim consiliarium, matrem autem matronā honestissimam Catharinam Rhoden, nobilis

COLERUS  
ducit uxorem  
1608. 30. Oct.



lis Holfatici filiam. Si, ut habet vulgatum, omne trinum perfectum, potuit etiam de eo gloriari COLERUS in suorum liberorum numero. Suscepit enim è dilectissima sua conjuge tres filias; quarum prima quidem Agneta consultissimo viro & juris Doctore eximio Johanni à Werlen, quem nunc sua præsentia locum hunc decorare cernimus, in matrimonium elocata est. Sed ut sunt res humanæ, post annos octo ad multos abiit. Altera fuit Catharina. hæc nobili viro Thomæ à Wickedden, clarissimæ familiæ in hac civitate patritio, connubio juncta, postquam in eo annos decem in summa animorū confessione cum ipso exegisset, secuta sororem ante annum in fata concessit. Natu minima Elisabetha cum amplissimo viro Adriano Mollero, uno nunc è primariis ordinis senatorij viris nupta, sola de ipsius liberis adhuc vitali aura fruitur. Sed ut revertamur eò, unde primum COLERI matrimonium nos paulum deduxit, in tanta studiorum contentione, in qua non nemo solertissimus ab aliis curis omnibus fuisset abstractus, ipse tamen &

nata 1609.  
 9. August.  
 nupsit 1630.  
 18. Octob.  
 mortua 1638.  
 14. Novemb.

nata 1611.  
 2. Mart.  
 nupsit 1634.  
 6. Octob.  
 mortua 1643.

nata 1613.  
 14. Mart.  
 nupsit 1635.



civilis vitæ officia ita colebat, ut omnibus esset  
gratisissimus, & in amicorum causis ita versaba-  
tur, ut facile prudentiorum oculos in se con-  
verteret. Ita namq; fieri videmus, ut quos vir-  
tute & scientia aliis præstare putamus, hos ob-  
servandos nobis & colendos statuamus, iis-  
demq; tutò res nostras committi judicemus.  
Nemo unquam cum eo locutus, qui humanita-  
tem & morum facilitatem in ipso desideraverit;  
nemo in magni momenti causis ejus consilio  
usus est, qui se id sine fructu fecisse putaverit.  
Cumq; veteri hujus reipublicæ usu illis, quo-  
rum causæ coram judicibus, quos Commissa-  
rios vocant, à senatu ad id delegatis aguntur,  
patronum ex amicis assumere liceat cujus  
consilio & voce utantur, ipse quoties  
ab amicis rogatus controversiæ sine liti-  
bus & amicè componendæ adeset, illis  
qui præsentibus erant, eam in tractandis ne-  
gotiis judicij dexteritatem de se ostendit,  
quam & mirari ipsi satis non possent, & sum-  
mis encomiis in senatu prædicarent; quæ  
quidem fama & singularis primatum de ipso  
existimatio ad dignitatem senatoriam facile  
ipsi aperiebat aditum: non enim poterant  
illius tyrocinia non esse illustria, qui clarita-  
tem



tem sui generis novo virtutum splendore ad-  
augere debebat. Nam cum ad assidua illa  
ipfius studia accederet rerum ufus & experi-  
entia, dici vix potest, quam promptum,  
quamq; maturum ejus fuerit de rebus judi-  
cium, quam item felix caufarum gravium  
tractatio atq; expeditio. Hinc fiebat, ut <sup>fit Senator.</sup>  
latere amplius ei non liceret, fed propter  
virtutem & eruditionem productus, in am-  
pliffimum & splendidiffimum Senatorum  
ordinem afumeretur, ad quem jam dudum  
miro bonorum defiderio efflagitatus erat:  
nec enim ingenium tanta exercitatione sub-  
actum poterat non inclarefcere, etiam rin-  
gente invidia, nec forum carere illo amplius  
volebat, cui jam nihil deesfet ad summæ eru-  
ditionis apud omnes exiftimationem. Id  
factum eft initio anni feccentesimi, feptimi  
& decimi, xiiii. Cal. Febr. Quod ille apud  
Comicum indignatur, sæpe summa ingenia  
in occulto latere, de eo minus fortasse con-  
queri COLERUS potuit. Nam quòd  
huc usq; ei licuerat fibi & fuis vivere, id felici-  
tati ejus adfcribendum erat: quod nunc ex  
mu-



museo protractus in clarissima curiæ luce lo-  
cetur, id virtuti ejus debebatur. : quamvis  
enim excelsa & præclara ingenia nullam mer-  
cedem nisi ex conscientia habere velint, ta-  
men virtus etiam per se invenit sui admirato-  
res & buccinatores. Hæc qui affectat viam  
ad honores, næ ille fidelem assumit itineris  
comitem. Est quidem illud veteris Poetæ  
verbum in scena prolatum, sed natum in Mi-  
nervæ templo :

Virtute ambire oportet, non favoribus:  
Sat habet favorum semper, qui rectè facit.  
Natus enim erat annos circiter quadragin-  
ta, cùm reipublicæ admoveretur, & mirificæ  
expectationi prudentissimi senatus & totius  
civitatis satisfacere inciperet. Mos tùm  
erat recens electum senatorem ab uno Con-  
sulum prima vice è curia domum deduci,  
quem ille prandio excipiebat. Comitatus  
autem fuerat COLERUM magni judicii vir  
Alexander Luneburgius, cui suus consulatus  
& res prudenter gestæ immortalitatem pepe-  
rere; hic reversus à prandio, & interrogatus,  
æquid spei sibi de novo isto senatore faceret,  
gravi-

graviter respondit, talem se jam domum deduxisse virum, quem majori prudentiâ & rerum scientiâ præditum deprehenderit, quàm polliceri de ipso sibi quisquam ausus fuisset. Consulis judicium comitatus est universorum plausus & consentiens approbatio : una enim hæc erat sententia omnium, una oratio, nec pluribus desideriis hætenus quemquam expetitum fuisse, nec magis idoneum ullum reperiri potuisse. Hic igitur jam datus ei erat locus, ubi vastam illam suam, atq; ex omni parte solidam scientiam ostenderet, & ad usum communem & reipublicæ commodum traduceret; quare ut ipse novam dignitatem animo alacri atq; prompto suscepit: sic patria, cujus honores, quos defert, cum oneribus haut levibus conjuncti sunt, cum videret viri in negotiis, quæcunq; etiam ei oblata essent, expediendis summam virtutem cum pari felicitate conjunctam, non nisi in arduis causis operâ ejus utendum sibi putabat. Nisi summa tantum rerum capita stric-  
tissimè nunc attingere constituissemus, longo sermone commemorandum hic nobis esset,

H

quan-



quanta fide commissa sibi in curia negotia obierit, quam integrè toto illo septennio, (nam tamdiu magna cum dignitate dignitatem istam gesit) in causis versatus sit, quam incorruptè, quam graviter sententiam in senatu dixerit, quoties vel summi momenti controversiæ decidendæ essent, vel deliberationes in gravissimis negotijs de reipublicæ salute susciperentur. Cætera munia, quæ ut novus senator gesit, non commemorabo: nam etsi illa omnia non minus sedulò gesit, tamen laudem non merentur singularem, sed communem cum pluribus: quin vix laus esse putanda est eorum, quæ absq; officij intermissione prætermitti nequeunt. In sanctiore isto senatu, quem Consistorium appellant, in quo qui ei adsesores fuerunt, summè adhuc deprædicant ipsius judicij acrimoniam & prudentiam planè singularem, sæpius accepit magnum suæ virtutis fructum ac dignitatis, quoties post cæterorum sententias prolatas ipse ut senator & suam subjiceret eamq; tam validis rationibus communitam proponeret, ut & libenter eum  
audi-

audirent, & haut rarò ad illius sententiam ac-  
cederent. Sed & hæc & alia multa ideo  
prætermittenda à me videntur, quod ea,  
quæ ab omnibus laudantur, si quis solus præ-  
dicare satagat, vilescere sæpe videantur, cum  
oratio sollicita & exquisita nimis laudatio  
speciem ficti nonnunquam habere videatur;  
gravissimæ tamen legationes, quas isto tem-  
pore feliciter & summa dexteritate obivit,  
non taceri omnino possunt. Cùm pro-  
pter eruditionem multiplicem, rerum usum  
& politices scientiam ad difficilimas quasq;  
causas tam deliberandas quàm exsequendas  
adhiberetur, fiebat, ut quæq; maximi mo-  
menti legationes ei decernerentur: ita enim  
fieri amat, ut qui unum grave onus <sup>re ad fa-</sup>  
rat, eidem imponantur plura: <sup>rarum</sup> ipse  
isto septennio viginti duas <sup>i-</sup> expedivit, ut o-  
mnibus satisfecerit, qui de rebus magnis ge-  
rendis judicare aliquid poterant. Rectè  
geri putabatur, quicquid COLERO commit-  
tebatur. Sæpe tum senatus cum exteris,  
sæpe cum Principum collegijs COLERIORE  
loquebatur, & hoc oratore obtineri posse  
crede-

credebat & vi debat, quicquid arduum esset,  
quicquid salutem reipublicæ complectere-  
tur. Non loquar de singulis, ne tam com-  
mentarium pangere, quàm parentationem  
dicere videar. Non dicam igitur, quod  
actutū primo, quo electus erat anno summæ  
dignitatis plena legatione nomine civitatis  
apud Mauritium, Hassiæ Landgravium, Cas-  
sellis perfunctus sit. Omittam, quod alte-  
ro statim anno ad Danorum Regem in ne-  
gotio gravi admodum de mari Balthico le-  
gati munus obierit, cum & cæterarum Hansæ  
urbium oratores, clarissimi viri, eò venissent.  
Illud non sine ipsius injuria taceremus, quòd  
quoniam politicarum rerum erat peritissi-  
mus, & mala, ex quibus respublica hæc detri-  
mentum capere posset, tanta dexteritate  
amoliebatur. Quanta sagacitate illa provide-  
bat, cum temporibus illis quo nescio fato  
cæcati homines per Germaniam monetæ  
adulteratione fraudem facerent, & verò ut  
tantæ rerum publicarum pernicipi medela  
adhiberetur, varij conventus Principum &  
Statuum haberentur, ipse quinquies (nam  
aliquo-



aliquoties discesum est non quidem re in-  
fecta, sed tamen imperfecta) ad comitia super  
hoc negotio in diversis locis habita, missus,  
ea suppeditavit, ut erat judicij acerrimi & re-  
ctissimi, voce & scriptis consilia, per quæ fa-  
ctum est, ut illa lues non intraret moenia  
nostra. Cumq; anno sexcentesimo vicesimo  
novem legationibus functus sit, in quibus  
de reipublicæ salute agebatur, omnium ta-  
men illa fuit clarissima, quâ una cum Consule  
Henrico Brokio, viro summis ornamentis  
honoris, virtutis, ingenij prædito, ad præpa-  
rationem pacificationis inter illustrissimum  
Luneburgensium Ducem Georgium, & Lu-  
becenses atque Hamburgenses in causa Ber-  
gerdorpeni constituendæ Hamburgum ab-  
legatus est; quò tum simul Archiepiscopus  
Magdeburgensis, Duces item Brunovicen-  
ses, Megapolitani & Hollati, circulus etiam  
inferioris Saxonix, atq; civitates quædam  
primariæ legatos suos miserant. Sequen-  
ti anno amplissima iterum legatio ei com-  
missa est, cum gravissimis Saxonix inferioris  
comitiis interfuit, in quibus de Palatino re-



Consul.

stituendo integras tres hebdomadas consultatum est. Anno verò vicesimo tertio rursus amplissimo Saxoniae inferioris conventui legatus adfuit, ubi de Mansfeldii & Ducis Brunovicensis turbis compescendis seriò deliberatum fuit : nam etiam ipsi circuli Principes aderant : COLERUS verò cum D. Cotmanno totius circuli nomine ad Electorem Brandenburgensem in hac causa legatus missus est. Perspexerat jam scientiam ejus politicam curia, mirabatur dexteritatem omnis civitas, venerabatur summam prudentiam totus inclytus senatus, ita maximis muneribus perfunctus erat, ut semper majoribus ipsum dignum judicarent prudentes viri : nil igitur restabat, quàm ut, cum ipse quantus quantus erat, salutis civitatis se consecrasset, ipsa vicissim ei summos quos habebat deferret honores. Amplissimus igitur senatus re deliberata, & imprimis DEO per preces publicè & privatim factas in consilium vocato, Consulem eum creat anno millesimo, sexcentesimo vicesimo quarto, die, qui divo Thomæ sacer est. Hic COLERO patientior



tentior aperiebatur campus, in quo divinum  
illud ingenium se exsereret, & in tuenda pa-  
tria in his Germaniæ tumultibus nomen su-  
um commendaret immortalitati; quod qui-  
dem ita præstitit, ut omnes boni rectoris rei-  
publicæ numeros impleverit, omnes vigili-  
as, curas, cogitationes in reipublicæ salute  
cōfigens. Consul annum circiter fuerat,  
cū miraculo divino, (ut ipse alicubi scribit)  
cum conjugē & liberis illorum militum ante  
urbis portas evaderet furorem, qui cū ad  
ipsum occidendū advenissent, pro eo no-  
bilem Holsatum globo trajecerunt. Eodem  
anno vitæ mortisq; arbiter DEUS ereptâ ei  
charissimâ conjugē, fœminâ omnibus virtu-  
tum ornamentis insigni, vix consolabilem  
dolorem illi adferebat. At nulla calamitas  
sola; lecto insuper eum affigebat quartana fe-  
bris, vehemens admodum, quæ decem &  
novem hebdomadas maceratum omnibus  
corporis destituebat viribus. Erat hic an-  
nus peste, stativis apud nos exercitus Danici,  
ad circuli hujus defensionem collecti, irru-  
ptione Mansfeldij in territorium & bona ci-  
vi-

Anno 1625.  
5. Septemb.

vitatis, annonæ item caritate, ut superiores aliquot, luctuosissimus. Iſtas ærumnas ferebat COLERUS animo forti, & Chriſtiano, id eſt, nec fracto, nec proſus curarum & doloris experte, donec quo moerore eum affecerat DEUS uxoris morte dilectiſſimæ, illum ei abſtergeret iterum novæ conjugis jucundo matrimonio: nam ſecundis nuptiis jungebat ſibi MARGARETAM, virginem caſtitiæ & cæterarum virtutum, quæ in iſto ſexu requiruntur, laude conſpicuam, Hieronymi Luneburgi, Patricij & primarij Cæmerarij filiam, neptem verò iſtius Hieronymi Conſulis, de cujus memoria nulla unquam ſeculorum ætas conticeſcet, cui ſalutem ſuam ſe debere ut ſæpe Lubeca profeſſa eſt, ſic tunc maximè, cùm gravi iſti bello, quod inter Reges Sueciæ, & Daniæ, atq; Luceam eo, quo antea diximus tempore exarſerat, finem impoſuit: miſus enim cum COLERI avo materno ad tantum incendium reſtingendum, in celeberrima iſta pacificatione Stetinenſi felicitiùs rem perfecit, quam quiſquam ſperare potuiſſet. Felix par conjugum  
non

iterum  
Sponſus,  
anno 1622.  
22. Febr.



non propriis tantum virtutibus clarum, sed  
& utriusq; avi primario consulatu & eadem  
legatione gravissima ita insigne, ut nulli fami-  
liæ cedere debeat. COLERUS quas vir-  
tutes senator summam in se habuerat semper,  
easdem nunc Consul constantissimè in se  
ostendebat. Honoribus atq; oneribus  
tantum auctus est, cætera sui similis, id est, in  
inveniendis salutaribus consiliis acutissimus,  
in decretis pro salute reipublicæ factis ad exi-  
tum perducendis vigilantissimus, in malis,  
quæ impendere civitati videbantur, obser-  
vandis sagacissimus, in istis verò, quæ jam  
premebant eam, averruncandis solertissi-  
mus. Nulla civilis controversia tam obscu-  
ra, quam non excuteret, & acumine ingenij  
penitraret: nullum negotium ab exteris  
nationibus exhibitum, tam arduum, quod  
non feliciter conficeret, & ita dirigeret, ut  
quæ mala minitari videretur, ea maturè à cer-  
vicibus urbis depelleret: nulla provincia  
ita dura, quam non pro reipublicæ salute li-  
benter susciperet, graviter sustineret, pru-  
dentissimè administraret: nulla deniq; res

Judicij pomeridiani Præses  
anno 1628.

&  
antemeridiani.

anno 1630.

tanta, ac tam difficilis, quam ille non & consilio regere, & fide tueri, & virtute conficere posset. Erat enim in viro acumen ad perspicienda ea, quæ vera & recta essent: erat animus & libertas ad ea dicenda, quæ sentiret: erat auctoritas ad ea tuenda, quæ justa esse censeret. Tres annos fuerat Consul, cum propter extremam senectutem optimorum consulum Johannis Vinhagij & Laurentij Molleri, J. U. D. qui virtutem suam magnis in rempublicam meritis illustrarunt, judicij pomeridiani directio ipsi committeretur; quo quidem anno, in Augusto mense, vehementer periculoseq; aliquot septimanas ægrotavit: sequenti autem etiam antemeridiani præses constitutus est, quod ad ultimum vitæ spiritum magna animi constantia administravit. Post mortem verò Vinhagij ad curationem quoq; & administrationem bonorum monasterij divi Johannis, ptochotrophii item S. Spiritus, & templi cathedralis, quatenus ad senatum illa pertinet, à Cos. Mollero adscitus est. Eadem ratione tum & scholæ publicæ & pharmac-



macopolij inspectio ad ipsum devoluta est. Ludiliterarij quam curam geserit, paulò post dicam. scientiam ejus in re medica loquentur ipsi Doctores Medici, cujus, quoties cum illis pharmacopoliorum thecas & operas visitavit, singularia dedit specimina. Sed presius nonnihil de quibusdam rebus, in quibus COLERUS cum omnium admiratione explicuit virtutes animi sui, dicendum est. Quibus laudibus illud efferemus, quod toto illo consulatus sui tempore summa prudentiâ & consilio penè divino cum collegis suis gubernacula hujus reipublicæ ita tractaverit, ut ipsa in tantis tamq; feralibus Germaniæ, imò Europæ bellis, quæ omnes has oras fere uno calamitatis genere comprehenderunt, ad neutram inter se belligerantium partem transierit, sed eo nomine, quod media in bello manserit, sarta tecta manserit. Profectò omnes, quibus de præclaris factis judicium aliquod est, summa admiratione hoc ipsum prosequuntur, præsertim si simul & illud cogitent, quanto studio ad suas nos pertrahere partes quidam annexi sint; cùm et-

COLERI  
virtutes.

Prudentia.

I 2 iam



iam non deessent, quibus huiusmodi foedera cum exteris ineunda non displicere, nec rarò ea inciderent tempora, quæ non tam suadere, quàm jubere talem conjunctionem viderentur. Si summam virtutem admirabimur maximè, & maximorum beneficiorum autores meritissimis laudibus ornandi sunt, necesse est, nullam hominum ætatem de hoc COLERI beneficio filere posse. Nullum monumentum togato imperatori erectum, tropeum nullum militare cum hac ipsius laude comparandum est, cum admirationem adimat veterum illustribus & generosis factis hæc viri singularis prudentia. Quod enim DEI summa benignitate & COLERI dexteritate consilii cum nullis nos junxerimus, hinc Lubeca in mediobellorum agmine Lares patrios contra Martis furorem tutata est. Nec minus illam consiliorum promptitudinem in aliis rebus commonstravit. Quò magis ardua causa tractanda oblata esset, tantò major confidentia omnium erat in COLERO, tantò celerius ipse divinas animi dotes in salutaribus dandis consiliis expro-

pro-



promebat. Cæteræ fere virtutes labore parantur, usu & exercitatione conservantur: at tanta sapientia, qua se mens hominis in omnes partes celeriter versat, & in rebus maximis prudentissimè deliberat, divinitus quibusdam contingit. Ut enim sapientissimus Deus non minus in suo populo, quàm inter cæteras gentes Reges quosdam pulchritudine imperio digna & insigni quadam corporis amplitudine ornavit, ut eò religiosius à suis colerentur, quòd aliquid divini inesse in tam excellenti corporis forma putetur: sic quos rebus publicis regundis destinavit, nonnunquam magnis donat mentibus, & singulari animi sagacitate, ut tanquam Argi aliqui perspicacissimi sint in videndis iis, quæ alios fugiunt, & dubios rerum eventus longissimè animo atq; cogitatione præcipiant, constantissimeq; ea amplectantur, quæ rem juvent publicam, nec quicquam efficiant, quod olim mutatum velint. Non enim quarum rerum initia à nobis pendent, earundem progressus & eventus in nostra potestate sunt. Malè autem comparatum est, cum il-

Pietas,

lud dici solet, quod est in Andronici equo  
Trojano, in extremo : Serò sapiunt. Id eò  
minus metuendum erat COLERO, quò so-  
lidius fundamentum omnibus actionibus  
suis posuerat pietatem. Pietas A. pietas in-  
quam est, à qua proficiscitur, quicquid in vi-  
ta humana laudabile efficitur : hæc prin-  
ceps virtus est, hæc mater virtutum omnium:  
hæc a. familiam in COLERI pectore duce-  
bat, quod hâc se Deo & hominibus gratum,  
hac sibi viam muniri ad quævis ardua supe-  
randa iudicaret. Nisi aurium vestrarum  
abuterer patientiâ, proluxiori sermone vobis  
COLERUM ob oculos ponerem tanquam  
exemplar Magistratus, in quo pietas cum ju-  
stitia, religio cum imperandi scientia de pri-  
matu contendisse videantur : nam cum  
totus negociis obrutus esset, tamen tanto stu-  
dio sacra semper & domi meditatus est, & pu-  
blicè frequentavit, ut DEI cultui cætera o-  
mnia posthabuerit. Vitam verò tam re-  
ligiosè traduxit, ut cives in eam intuentes in-  
tegrissimæ vitæ exemplum intuerentur. Est  
enim vita regentium tanquam Phidiæ aliqua  
sta-



statua, in illustri loco posita, univerforum oculos in se convertens, tantò celerius reprehensionì obnoxia, quantò facilius labecula una splendidum infuscat corpus. Censebat COLERUS cum Isocrate, populum iisdem studiis occupari, circa quæ rectores suos versari videt. Non tam avidè haurit pluvias terra arida, quam cupidè cives amplectuntur vitia, quibus inquinati sunt illi, à quibus reguntur. Propterea certum ei erat, omnes vitæ suæ actiones ita instituere, ut cœlestia semper spectare videretur. Symbolum enim sibi elegerat, quo quasi asiduo monitore animus ad æterna meditanda excitaretur, illud veteris ecclesiæ in solennibus sacris usurpatum: *Sursum corda*. Nam & libellum, in quo brevissimè vitæ suæ cursum consignavit, his verbis inscripsit, & eadem ore, calamo, mente frequentavit. Ubi è concionibus, Dominicis diebus, rediisset, totum se domi in sacras abdebat literas, haut rarò etiam, si quid sibi non satis assecutus inter dicendum videretur, literis ab illo, qui concionatus esset, uberiolem explanationem requirens. Intelli-

ligitis A. quid COLERUS in omnibus vitæ  
suæ partibus potissimum secutus sit, & ad  
quem singulas actiones unicè retulerit. Vi-  
delicet nunquam ipsius consilia ita salutaria,  
actiones tam felices, eventus rerum adeo se-  
cundi esse potuissent, nisi pia mens in iis o-  
mnibus ad DEUM, omnis boni perennem  
fontem, respexisset, illumq; in istis non tam  
comitem, quàm ducem elegisset, terrestribus  
autem hisce ita utendum esse putasset, ut lice-  
at olim ad cœlestia illa commigrare, quæ in-  
teritui nulli obnoxia, & in quibus sancta il-  
la civitas, quam cum Apostolo mens Chri-  
stiana solam concupiscit. Hanc eò arden-  
tioribus expetebat desideriis, quò magis a-  
gnoscebat actionum & cogitationum huma-  
narum pravitatem vitæq; hujus mortalis fu-  
gacitatem. Tabulam enim æneam in Mariano  
templo cùm in memoriam avorum, qui eam  
dedicarunt, renovari curaret, quæ ultimî isti-  
us diei rigorosum judicium repræsentat, duo-  
bus eam distichis, à se confectis, ornabat,  
quorum altero, quod supra tabulam scri-  
ptum, ita illud judicium depingit:

*Iu-*



*Judice quoq̄, sui si nemo absolvitur, hem quid  
Si absolvendus erit iudice quisq̄ Deo.*

Altero, infra eam apposito, ita rerum mundanarum vanitatem describit:

*Quid quis? quod non quis? nihil: omne, quid  
omne? nihilve?*

*Nil: omne, omnis homo scilicet omne-nihil.*

Nec verò pium se satis esse putabat, nisi & suos ad pietatem & religionem adsuefaceret. Familiam enim omnem, & in hac filias præcipuè ad sacrorum librorum lectionem & meditationem, ad concionum divinarum auditionem exemplo & præceptis indefinenter hortabatur. Pietas cum tam altas radices egisset in COLERI pectore, facile illa reliquas virtutes, tanquam filias suas genuinas, ex se producebat. In quibus tantò magis cæteris antecellere studebat, quantò ipse præ illis in illustriori sede collocatus esset. Ut mirum nemini videri debeat, quòd tanta viri in rebus adversis esset animi magnitudo, quanta in prosperis erat moderatio: quia enim animum in potestate habebat, quem in corpore non magno maximum gerebat,

Fortitudo.

K                      forti



forti pectore sustinebat fortunæ insultus, & quos tempestatum in republica procellæ minitarentur impetus, hos eo animi robore excipiebat, ut Socratem alterum dixisses, de quo literis proditum est, quòd à primo solis ortu ad solem alterum orientem immotus stare solitus sit, iisdem vestigiis atq; eodem obtutu defixus, ut ad fortuitas vices animum patientiâ adsuefaceret. Nam quæ dura & aspera inconstantis animum percellunt & frangunt, illa sapiens ferendi scientiâ mollit: ille ad inopinatos casus trepidat atq; exhorrescit, hic certus adversus incerta est. Hinc etiam tanta erat ejus in vita & sermone integritas, ut, quemadmodum ora fictitia oderat, sic nec ipse dubiis frontis involucris mentem occultare sciret, sed verbis apertis apertum ostendere animum satageret, nec ferret istos, qui obliquis illis artibus, quæ hujus ætatis nostræ ultimus abortus mihi videntur, & animorum integumento cujus nescio prudentiæ laudem venantur. Si COLERUS Consul nullis aliis rebus æternam sui memoriam nobis commendasset, poterat sola ad id sufficere

Candor.

Studium  
erga  
Ecclesiam  
&  
Scholam.



ficere illa ipsius sine exemplo erga ecclesiam  
& scholam hujus civitatis summa cura & be-  
neficentia. Extitit singularis ejus & planè  
sincerus amor erga verbi Ministros, ut qui-  
buscunq; rebus illorum commodis utilita-  
tiq; servire posset, sive stipendiis augendis,  
ut necessariis vitæ subsidiis non destitueren-  
tur, sive causis eorum in senatu agendis, nun-  
quam consilio, nunquam opere illis defuisset.  
Id tam confidenter non dicerem, nisi ipso-  
rum ore dicerem. Est in venerando illo  
ordine reverendus senex, quem & supra ho-  
noris causâ nominavimus, qui grato animo  
recordatur & pleno ore deprædicat summam  
ejus humanitatem, qua quoties ipsum, sive in  
sua, sive in amicorum causa accesserit, ab illo  
exceptus, nec unquam dimissus sit nisi jucun-  
do vultu, & postquam quod rogasset, haut  
ægrè obtinuisset. Imitatus COLERUS ut  
in cæteris, sic & in hac regia virtute OCTAVIUM  
Augustum, quem tanta adeuntium deside-  
ria excepisse Suetonius scribit, ut quendam  
joco corripuerit, quod sic sibi libellum porri-  
gere dubitaret, quasi elephanto stipem.

Ubi autem post mortem Consulis Vinhagij  
etiam scholæ cura ejus fidei commissa esset,  
tota mente in rem scholasticam incubuit;  
quam submovere illa retinacula, quibus cur-  
suslectionum impediri, quam sollicitus esse in  
istis rebus efficiendis solebat, quibus lyceum  
amplificari & illustrius reddi posset. Intel-  
ligebat enim, scholarum rationem implici-  
tam esse cum ipsa republica & ecclesia, ruere  
illas non posse, ut hæ non eodem labefactatæ  
motu concidant. Si quando post examina  
publica de schola caperentur consilia, sæpe  
integros aliquot dies cum quibusdam è sena-  
tu ad eam rem delegatis, Superintendente,  
Pastorum collegio, scholæ item Rectore &  
Prorectore in seram usq; vesperam insume-  
bat. Disputationes verò Logicas, quæ ju-  
diciam adolescentium acuunt atq; confir-  
mant, & Hebraicæ linguæ exercitium, cujus  
necessitatem illi intelligunt, qui nos eâ carere  
non posse intelligunt, magno cum discen-  
tium fructu in scholam introduci curabat:  
ingeniis autem excellentibus mirificè semper  
delectatus, si quæ de meliori nota ei com-  
men-



mendarentur, horum studia quacunq; ratione posset, juvabat; in primis illis redivibus, quos literarum studiosis tenuioris fortunæ majores pia liberalitate legarunt; in quibus distribuendis cum multa perperam fieri animadverteret, quomodo & quibus imposte- rum illi conferri deberent, ut testatorum voluntati satisfaceret, prudenter constituebat. Video multorum desiderio nos non satisfac-  
turos, nisi & justitiam COLERI laudaverimus. Sed nolo ego ea dicere, quæ & sciuntur adhuc ab omnibus, & fidem dicentis superant. dicant illi, quibus tot annos Consul jus dixit: dicant, qui cum ipso tam diu in tribunali justitiæ federunt. Cujus rei ipse unquam fuit tenacior, quàm justitiæ? cuius prece, cuius pretio, cuius minis, cuius autoritate, cuius deniq; gratiâ ipse vel latum unguem à justitiæ tramite deflexit unquam? in dicenda verò sua in senatu sententia ita liberam mentem & linguam semper gesit, ut nunquam quid alii senserint, spectaverit, sed quod justum æquumq; esset, id pronuntiâ- rit: erat enim in ferenda sententia auto-

Justitia,

K 3

ritas,



Legum sanctio

ritas, virtute parta : erat verus finis propositus, justitia & salus publica: utriq; velificabatur æquo studio, quòd illa hujus fundamentum sit, hæc autem absq; illa diuturna esse non possit: in rerum gravium deliberationibus, quæ non legum præceptis finiri possunt, sed judicandi dexteritate maturandæ sunt, quicquid suadebat, facere audebat, priusquam conaretur, dispiciebat. Ut enim inerat in verbis ipsius fides & in animo constantia, sic in consilio prudentia. In bonis autem legibus, quæ anima civitatis esse meritò creduntur, sancientis, atq; in iisdem contra violatores vindicandis quam fuit semper vigilans, quam constans. Veteres censebat, & suppletis iis, quæ desiderari videbantur, typis eas exscribi curabat, ut in omni casu tota civitas sciret, quid sui esset muneris. Ut sunt illæ, quæ de superiori & inferiori judicio administrando latæ sunt: leges tabularij: de excubiis belli tempore habendis: de pauperibus alendis: leges item tempore pestis, incendij, & in cæteris reipublicæ malis observandæ. Ita enim consulatu suo fungi volebat, ut bonis

nis



nis omnibus satisfaceret cumulatisimè, de  
cæteris parū sollicitus: malitia enim, & impe-  
ritia quid non carpunt? nec verò impro-  
borum & imperitorum iudicio vel stare ve-  
lit, vel cadere debeat vir bonus, cùm non  
minus æmulatio atq; invidia, quàm gloria è  
virtute speranda, & tum demum virtus con-  
summata iudicanda sit, cùm non in oculos  
tantum hominum, sed etiam in voculas ma-  
levolorum incurset, veræq; virtutis argu-  
mentum sit, non mereri tantum maligno-  
rum obtrectiones, sed & contemnere eas  
animo alto atq; magno. Prudentem verò  
illum Consulem, qui ut mastiges effugiat, à  
recto deflectat! Unius atq; alterius malitiosi  
& impotentis animi homuncionis impurum  
os dum metuit, multorum justis reprehensi-  
onibus vapulat. Ut eò minus mirandum  
sit, si iniqua petentibus ad voluntatem esse  
COLERUS noluit, & iudiciorum severita-  
tem, quam à majoribus accepit, & ob  
quam Lubeca semper bene audiit, eludi à sy-  
cophantis, aut perrumpi ab improbis non  
sivit. Quæ verò viri fuit in omnibus quæ  
age-

ageret cautio, quæ circumspectio : quam exacto cuncta fecit iudicio. nihil temerè ab ipso dictum, nihil scriptum, nisi summa cum prudentia, sciunt omnes, tam qui privatim ejus consilio usi, quàm quibus in curia jus æquum divisit. Vos viri honoratissimi, qui in secretioribus consiliis ipsi adfuistis, & nunc desideratissimi hominis memoriam vestrâ præsentia celebratis, testor : vos dicite, cum ad externos de rebus arduis literæ exarandæ essent, quanta accuratone illæ sæpe ipsius ductu scriptæ sint, quam singula ponderare in istis verba semper solitus sit, ut non solum cautissimè sibi responsum in rebus magni momenti exteri confessi sint, sed vicini etiam Reges summæ diligentia laudem ei in hac re tribuerint. Non dicam jam, quòd & Cæsaris aula permultum fama atq; auditione de eo acceperat ; existimatio enim ut temporum diuturnitate fit perennior, sic è locorum longinquitate præcipuas quasdam vires sumit. Diutius in hoc argumento orationis versor, quàm constitueram, & vocat me aliò nunc vestra expectatio.

Bene



Bene habet, A. nutus vester & admurmuratio facit, ut intelligam, quid adhuc desideretis. Obversatur animis atq; cogitationibus vestris illa incredibilis ipsius constantia in infinitis fere tolerandis laboribus, quâ negociis omnibus par fuit. Dicam de ea, non quæ debeo, sed quæ possum, & tempus patitur; vos autem ex ungue leonem! Qui viri, ut Æschyli similitudine & Ciceronis verbis utar, in puppi sedentis clavumq; imperii tenentis vitam vel per transfennam adspexit, intelligit, vix eminere illum è negociorum turba. Hic ego non dicam, quantum semper ab omnibus laudata atq; deprecata fuerit ejus in judicio pomeridiano dirigendo sedulitas, cum litigantium controversias disceptationesq; civium maturrimè componeret, nec eas à causarum patronis aut dilatari præter necessitatem, aut prolongari diutius pateretur; in quibus nullus casus ipsi incognitus se offerebat, ita omnes quæstionū salebras per rumpebat, penè ut ipsa Themis summas suas in eo experta vires videri posset: non laudabo etiam nunc ejus sive

L memo-

In laboribus  
ferendis  
promittudo

in Tragedia  
ἐκ τῆς Ἰσθμίας  
Sall., v. 2.



memoriæ promptitudinem, siue ingenij vim  
singularem, quâ ea, quæ à causidicis amplis-  
simè & multo apparatu causæ suæ probandæ  
adducta erant, ipse ex tempore omnia me-  
moriter repetebat, & causâ cum adfessoribus  
iudicii examinatâ, sententiam ultimam actu-  
tum pronuntiabat; in quibus omnibus  
hoc unum sibi precium putabat amplis-  
simum, bene iudicasse. Hoc brevissimè di-  
cam, ipsum in tanta operarum varietate &  
gravitate eos sibi adhuc cumulasse labores,  
quibus solis perferendis multi alii requiri vi-  
deantur. Nam felicem adhuc COLERUM  
licuisset dicere, si Consul tantum officium  
atq; partes suscipere ac tueri satis sibi putas-  
set. Consul erat. si nihil adderemus aliud,  
satis dixissemus, nam laborum & curarum  
vivum dixissemus exemplar: Consul erat  
temporibus periculosis, in quibus infe-  
stus Mars circumfultavit non ditionis nostræ  
fines, sed urbis nostræ moenia. ô felices Pa-  
tres patriæ, qui præfuisstis urbi aureis illis secu-  
lis, quibus summa pax vigeat in Saxonia,  
quibus Germani sua concordia aliis terror,  
for-



fortitudine sua firmum sibi ipsi præsidium  
adversus omnem externorum incursum e-  
rant. Non satis igitur COLERO erat ju-  
diciis frequenter interfuisse, supplicum que-  
relas diligenter audiisse, de oblatis negociis  
cum Senatu prudenter deliberasse, sed insu-  
per in causis, quæ coram judicio non voce,  
sed scripto tractabantur, non tantum illis, ad  
quos hæc cura pertinet, acta legenda conce-  
debat, sed ipse etiam ea omnia attentè domi  
perlegebat, & in istis, quæ majoris erant mo-  
menti, sua manu relationes, quæ inter manu-  
scripta ipsius supersunt, scribebat, ut diligens  
quasi correferens, aut ipsarum relationum  
accuratus censor esset. Iudicio anteme-  
ridiano cùm præfuit, in quo publica tractan-  
tur, & illæ causæ, in quibus ab inferiori judi-  
cio ad senatum provocatum est, omnium  
causarum acta singulis diebus ipse scripsit:  
nunquam enim è senatu domum venit, ut  
non antè, quàm accumberet, in museum se  
abdens ordine annotaret, quicquid in rebus  
gravibus actum illa vice esset, etiamsi consul-  
tationes in curia in duodecimam, aut pri-

L 2 mam



mam horam à meridie productæ esset: quicquid verò quovis die sive in iudicio, sive extra illud, omni consulatus sui tempore, egit, in ephemerides retulit. Quoties autem in deliberationem deducendæ & pertractandæ essent causæ graviores, quarum ut hoc nostro, sic ipsius tempore plurimæ obvenerunt, & in quibus sæpe nihil constitui posse videtur, quod non incurrat in magnam aliquam difficultatem, ipse eas domi bene meditatas, & in utramq; partem disceptatas atq; elaboratas in senatum adferebat, & re cum collegis deliberatâ, talia faciebat decreta, quæ ex usu essent publico. Et quod arguit hominem laboris patientissimum, quemadmodum ita diem disposuerat, ut nulla ejus hora abiret sine fructu: sic rationem laborum ita instituebat, ut eos in diurnos & nocturnos iusta proportionem distribueret, ut diene an nocte plura legeret & scriberet, intentior ne rebus agendis domi an in curia esset, vix appareret, & quasi cum laboribus bellum suscepisset, & qui plerosq; alios conficere solent, hos pertinaciâ conficere ipse vellet, putari posset. Qui enim  
semel

semel statuerat, aliis non sibi vivere, is valetu-  
dinis & vitæ, rerum charissimarum, jacturam  
facere malebat, quàm momentum temporis  
prætermittere, in quo non aliquid effecisset,  
quo aut universos, aut singulos juvisset; quâ  
ejus fide erga rempublicam atq; in suscipien-  
dis pro ea laboribus promptitudine effectum  
est, ut summi pariter ac infimi eum non ama-  
rent solùm, sed & venerarentur, essetq; in ur-  
be non minus nomen ejus celebre, quàm a-  
pud exteros. Quod contrà summis viris  
sæpe solet contingere, ut præsentium vilescat  
amor, labefactetur autoritas, minuatur &  
obscuretur gloria; quanquam tamen ipse et-  
iam in illa sui existimatione nullius applau-  
sum magnopere expetebat, quòd, ut Æschy-  
lus de Amphiarao, Græcorum vate, & sub  
hujus persona de Aristide Iusto, (ut quidem  
censet Plutarchus) prædicat, non videri opti-  
mus, sed esse vellet. Atque ad tantos fe-  
rendos labores semper eò erat expeditior,  
quòd erat semper sobrietatis studiosior: fru-  
stra enim adversus tot laborum agmina sine  
illa virtute contendisset, sine qua cæteræ vir-

Literarum studia in senectute

tutes subsistere non possunt, nec unquam  
stis oneribus par fuisset, nisi illam virtutem  
tantopere coluisset, quæ rerum recte agenda-  
rum mater est. Exitum nullum inveniam, si  
de cæteris COLERI virtutibus dicere aggrediar;  
propterea ne rerum copiâ obruar, finem dicendi faciam,  
ubi prius breviter & illorum instar, qui in discesu  
amicos ultimùm salutant, postrema voce illud monuero,  
quanta industria COLERUS etiam senex doctrinarum  
studia cum sui Consulatus muneribus junxerit. Ego  
fretus vestra A. benignitate non vereor vestrum in iis  
audiendis tædium, in quibus præstandis ei nunquam  
defuit animi alacritas & pertinax constantia. Ita  
angustis vitæ humanæ spacium natura circumscripsit  
limitibus, tamq; variis vitiavit defectibus, ut ingenia  
felicissima non tamen in pluribus, quàm in uno fere  
emineant; qui igitur in plerisq; ita excellit, ut quos  
prætereat, amplius non habeat, is humanæ conditionis  
sortem superasse haut abs re videatur; & quanquam  
interdum, quæ est naturæ benignitas, producat aliquos,  
quorum mentem non



non unius solum, sed variarum artium scientia uberatius imbuit, sunt tamen isti ad rem publicam rectè regendam non æquè idonei: at qui & in doctrinarum genere omne punctum tulerunt, & in republica gerenda ita eminuerunt, ut summæ prudentiæ laudem mereantur ab omnibus, hos ex maximè raro hominum genere judicare debemus & penè divino. COLERUS ut in omni vita sua optimis studiis impensè deditus fuerat, sic toto Consulatus sui tempore, quem tot annos: principe loco gesfit, illis ita excelebat, ut pauci docti assequi possent: reipublicæ autem ita præerat, ut divino quodam munere huic urbi à DEO datum eum esse statuendum sit. His duabus enim rebus antecellere cæteris studebat, optimarum artium scientiâ, & maximarum rerum gloriâ; quarum alteram sibi vivo nunquam eripi passus est: alteram mortuo ne invidi quidem labefactare ullo modo possunt. Quæ in plerisq; aut planè non conjunguntur, aut remissiùs, si adsint, tractantur, literarum studium & gravium curarum administratio, ea in ipso sene ambo  
ita

ita concurrebant, ut utrumq; feliciter præstaret, quàm multi, qui horum alterum sibi sumunt. Quis senem vidit unquam sine libro aut charta? quis non aut legentem, aut scribentem invenit? Nulla unquam in ipso præterquam temporis est animadversa avaritia: studia ipsi vita erant: officii labores delectatio: meditatio animi quies: variarum rerum scientia delicia: sapientum virorum scripta summa recreatio. Tantus discendi semper amor nullam ætatis ejus partem à præclaris studiis relinquebat vacuam: tanta mentis in officii partibus obeundis agitatio nunquam eum à magnis memorabilibusq; rebus quiescere sinebat. Veteris testamenti Græcos libros, & inter hos Ecclesiasticum, cujus dialectum imprimis probabat, primæ item ecclesiæ scriptores Græcos, quos Patres appellamus, assidue sine interpretum ope legebat: Plutarchum, Xenophontem, Herodotum, horumq; similes auctores ad rationem gubernandæ reipublicæ pertinentes, studiosissimè pervolutabat; nec verò quid vellent, ab interpretibus mendicabat, sed ex ipso-

ipforum ore hauriebat. Latinos autem,  
& inter hos præcipuè Tacitum, civilis rei au-  
torem maximum, & Florum non legisse, sed  
edidicisse videri poterat, ita cùm quid ex illis  
commemoraret, integras periodos cum stu-  
pore audientium recitabat. In illorum  
verò autorum lectione, quos ob accuratum  
in veteribus scriptoribus evolvendis & imi-  
tandis iudicium criticos nominamus, & qui-  
bus æmulandis dignosci ingenia singularia à  
vulgaribus solent, ita fuit semper assiduus, ut  
acutissimus *Kirchmannus*, qui in hoc litera-  
rum genere excellebat, ipsi accurati critici  
laudem sæpe coram doctis tribuerit. Quos  
enim vel sapiens Græcia dedit, vel ingenio-  
sum Latium produxit autores elegantes &  
graves, terebat assidua manu. In his, insti-  
tuto Plinii, nihil fere legebat, quod non ex-  
cerperet, imò quod memoriæ non infingeret;  
quibus rebus factum est, ut inexhaustum o-  
mnigenæ eruditionis esset promptuarium.  
Sed cùm COLERI virtutes nec ego, nec fortè  
quisquam alius percensere una oratione o-  
mnes possit, ista Laconum commendationis  
M for-



Plato  
in Menone,  
p. 24.

formulâ, quâ ut Plato testis est, laudabant virum bonum, & cujus divina in rem publicam extabant merita, exclamandum mihi cum ipsis, quamvis contra Latinæ orationis decorum, videam. : *Deios εἶπε ἀνίε.* Hoc enim omnium de ipso testimonium est, hæc laus virum nunc apud omnes bonos consequitur. : plerorumq; de eo vox est, scivisse eum omnia. : doctorum sententia & iudicium, excelluisse ipsum in omnibus: civium verò consentiens super ipso eclogium, optimè de tota republica esse meritum. Non ergo illud tantum temporis spacium vixisse COLERUM judicabitis, A. quo eum inter vos versantem, quo lites vestras componentem, quo cum irreparabili valetudinis jacturâ commodis vestris invigilantem vidistis. Vixit, antequam natus est illis temporibus, quorum res gestas assidua lectione distinctiùs cognôrat, quàm multi, qui illis interfuerant: vixit cum hæc egit, quæ nos nunc miramur: vivet propter virtutem & scientiam in recenti apud bonos memoria, vivet in piorum ore, in doctorum monumentis ingenij:

nij:



nij: cives ipsum salutem suam dicent: literati  
decus: senatus gloriam suam nuncupabit, nec  
ætas ulla futura est, quæ COLERI nomen ne-  
sciat.

Debilitatus tandem illa laborum mole, &  
quæ inde existebat, quartana febris, viribus cor-  
poris magis ac magis deficiebat, tribus præ-  
fertim posterioribus annis. Monebatur quidē  
haut rarò ab amicis & propinquis, tēperaret  
sibi non nihil, nec data opera se frangeret, va-  
letudini suæ vim, vitæ verò mortem afferens;  
sed quibus aliàs nihil negare consueverat, hi  
ab eo illud impetrare non poterant, ut sui &  
suorum memor aliquam laborum relevatio-  
nem sibi nunc defatigato & penè viribus ex-  
hausto indulgeret, quiq; alioqui mitissimi &  
liberalissimi erat ingenij, hic immoderati  
prorsus adversus seipsum erat imperii. Ita  
enim in illa senectæ, in illo lento morbo, sive  
diuturna tabe, in illa fracta valetudine vige-  
bat animus, ut corpore contra ejus conditio-  
nem utoreretur. Nam & ultimo vitæ anno  
de laboribus suis usq; eò nihil remisit, ut cum  
in illius initio gravi admodum vexaretur de-

Morb.

M 2 stilla-



stillatione, nihil minus iudicio derigendo  
semper præset, nec unquam consiliis & actio-  
nibus publicis se subtraheret, quod iudicaret,  
ab isto officio, quod semper usurpasset, cum  
valuisset, abduci ne quidem infirma valetu-  
dine se debere: ita enim defixum in re-  
publica animum atque tam pertinaciter adstri-  
ctum habebat, ut non nisi morte avelli ab ea  
vellet. Omnia autem, quæ toto anno ipso  
præside in iudicium allata erant, illo exeunte  
ita expediverat, ut cum die, qui cathedræ Pe-  
tri sacer est, collegæ directionem traderet,  
nullus libellus supplex superesset, ad quem  
respondum non esset. Quam autem à  
directionis munere vacationem sequenti  
anno ex veteri reipublicæ hujus consuetu-  
dine ab illo die sibi pollicitus erat, hanc invi-  
debat ei adversa valetudo *magnifici & nobi-  
lissimi Viri Christophori Gerdesij*, Consulis  
jam primarij hujus urbis, & tum collegæ ejus  
charissimi, quemque aliàs semper reipublicæ  
onera animo imperterrito suscipere & in-  
fracto sustinere, non sine maximo civitatis  
emolumento videmus. Quamvis igitur &  
tum



tum destillationibus capitis tam vehementibus urgeretur, ut & raucedinem vocis contraxisset, & rebus agendis magna cum difficultate vacaret, haut gravatè tamen præsidium iudiciorum iterum in se recipiebat, quòd etiam cum extrema valetudinis iactura, quoad spiritum duceret, consilio, quantum poterat, labore plus pænè, quàm poterat, excubare vigilareq; pro civibus paratus esset. Propterea in omnibus de novo oblatis causis cognoscendis ita iterum laboraverat, ut die ultimo, quo in senatu erat, quiq; incidebat in xiii. Cal. April. illas omnes in senatu legi curaret, & in singulis sententiam pronuntiaret, tam diu loquens, donec vix amplius vox ejus exaudiri posset. Hoc verò est de sua statione non decedere, nisi summi Imperatoris jussu. Beatus servus ille, quem DOMINUS veniens ita vigilantem & officii partes graviter exsequentem deprehendit. Nam euntem è senatu domum tanta membrorum lassitudo invasit, ut ægrè admodum domum veniret, & in-

M 3 ter

quod 32

Mors.



ter eundem aliquoties requiescendo fatiga-  
to corpori aliquam doloris allevationem  
quærere necesse haberet. Tum verò re-  
pentè ita totius corporis doloribus oppres-  
sus fuit, ut lecto se committere, & contra in-  
valescentis morbi impetum quiete & Medi-  
corum ope, quos ultimo vitæ triennio fre-  
quentes circum se habuerat, uti cogeretur.  
De morbo ejus certior factus frater ANTO-  
NIUS sua sponte eum visitabat, ipso festo die,  
cui ab annunciatione Mariæ, matri DEI sem-  
per virgini, facta nomen dedere veteres. Ibi  
occasione illius diei dignam colloquio, cum  
ægotis instituendo, materiam nacti de  
filij DEI incarnatione piè inter se disserue-  
runt. Post illud colloquium melius habe-  
re videbatur: at circa noctis meridiem ita  
morbus sumebat vires, ut frater iterum ad  
eum accersendus esset. Sequenti die cum  
ipse ex augescente morbo vocari se ad exi-  
tum vitæ sentiret, idq; minore cum dolore,  
quòd mortem cogitatione jam dudum sibi  
fecisset familiarem, quàm conjux, liberi &  
propinqui, qui ejus desiderium ægerrimè  
se

26. Martij.



se laturos prævidebant, etiam reverendum & clarissimum virum *M. Michaellem Siricium*, Pastorem in Mariano templo vigilantissimum, & qui ipsi à confessionibus erat, advocari ad se curabat. Hic cum advenisset, sermonem ex **DEI** verbo cum ipso instituebat, & evangelij secundum Johannem caput quartum, uti ipse petierat, totum ei prælegebat, ut se illius meditatione ad sacræ coenæ usum præpararet: confessionem autem suam se à meridie recitaturum clara voce significabat, quod tamdiu sibi illam meditando esse diceret. Reverso igitur tum ecclesiæ **DEI** ministro confessione peccatorum suorum satis prolixa fere totum vitæ suæ curriculum enarrans sine simulatione ubi, & quid se peccasse putabat, profitebatur, omnemq; spem sibi in **DEI** misericordia & sufficientissimo **JESU SERVATORIS** sui pro peccatis merito constitutam ostendebat. Tum ejus voce à peccatorum debitis liber pronunciatus, & sanctissimi corporis & sanguinis Dominici magna cum animi submissione particeps factus, omnibus, qui aderant,

rant liberis & agnatis porrecta manu & constantianimo ultimum vale dicebat: charissimæ autē conjugii, quæ ex ipso voce, lachrymis & gemitibus sæpe interruptâ, quærebat, num quid etiam sibi mandare vellet, respondebat: quid aliud dicam tibi, ô meum corculum, quàm quòd olim Cæsar Augustus moriens suæ Livix tum & huic manum præbens postquam priora verba Imperatoris, q. tacitè secum præmisisset, dicebat: *Vale*. tanquam dicturus cum Imperatore: Margareta, nostri conjugii memor vive, ac vale; quod verbum licet non satis ipsa intelligeret, (donec cæteri ei postea interpretarentur) tamen animo tristissimo, & non sine multis lachrymis accepit. Deinde fratri utramq; manum porrigens eidem quamvis voce jam fracta aliquid committebat, quod tamen ipse & satis intelligebat, & uti jusserat, effectum reddidit. Altero die, (is erat vi. Cal. Aprilis, & postremus hebdomadis, quo ultima vice ante octiduum senatui interfuerat) loquendi facultas sensim ei abscescit, auditu tamen, visu & ratione ipsa manentibus integris,

gris, ut & audire omnia, & intelligere satis posset, quæ sive à ministro Ecclesiæ, qui frequens ei aderat, sive à cæteris adstantibus ex DEI verbo ipsi suggererentur. Ad horam nonam vespertinam cum gravius ægrotantem frater offendisset, atq; ex eo quæsisset, num ut quid sibi prælegeretur, ferre posset, tum capite & oculis desiderium suum significavit. Cumq; sciret frater, illum semper præcipua quadam oblectatione concionem illam SERVATORIS nostri, qua ultimò quasi discipulos suos valere iussit, legisse ac audisse, atque hanc ei per filiam ipsius natu minimam ex capite xiv. & sequentibus Evangelij, quod est secundum Johannem, prælegi curaret, ipse singulari animi attentione & junctis manibus auscultabat, donec illa legendo fere ad finem venisset; ibi cum ipsa parum substitisset, (nam etiam ex vi morbi aliquod deliquium animi suboriri ei videbatur) interrogatus à fratre, omniane satis percepisset: imò, inquit disertè & clariori, quàm solitus erat, voce; & paulò post claudens oculos sortitus est facilem exitum, animam quidem

N

red-

reddens SERVATORI suo, in cuius manu ipsa læta conquiescit, donec corpori suo unatur iterum cum gaudio, nobis verò omnibus admirabile sui relinquens desiderium, & toti posteritati egregiarum virtutum exemplum.

Iam te, æterne DEUS, regnorum & rerum publicarum autor & conservator optime, piis sollicitamus mentibus, ut qua hætenus divina civitatem hanc nostram fovisti gratiâ, eadem posthac eam in tantis malorum prosequaris agminibus. Quos in locum COLERI suffecisti, quemadmodum iisdem ornaisti animi dotibus, & eandem erga rempublicam tribuisti mentem, sic illis animi & corporis vires largire ex alto, ut non minus deinceps, quàm hætenus eadem prudentiâ, studio, labore rempublicam administrent. SENATUM hujus civitatis inclytum rege spiritu sapientiæ & intelligentiæ, spiritu consilij & fortitudinis, ut ille in tam perturbato Germaniæ statu ea capiat consilia, quibus æterni nominis tui gloria illustretur, & hæc respublica in pristina pace confirmetur.

metur. Tuere ecclesiam tuo numine ,  
quam in hac urbe sanctissimi verbi tui præ-  
conio colligis, & quæ in suo gremio nullos a-  
lios, quàm Lutheranæ religionis, id est, anti-  
quissimi & in verbo tuo instituti divini cul-  
tus alumnos fovet, cæteros opinionum sua-  
rum sectatores excludens è medio suo. Præ-  
sta nobis diutissimè incolumes, qui in illa  
docent, viros summa vitæ integritate prædi-  
tos, & doctrinarum studiis excultissimos:  
plantent & rigent ipsi, tuo verò, Ô DEUS, da  
incrementum. ! Conserva scholam, in qua  
animi juventutis ad pietatem & tui amorem  
informantur, & ex qua sola illi producuntur,  
per quos populum ad religionem instituis,  
& ad colendam humanam societatem legi-  
bus & institutis erudis. Arce ab aris focusq;  
nostris omnes istas pestes, quas nobis hic Mar-  
tis minatur furor. : reduca in nam pacem in  
Germaniam, per tot annos bellorum moti-  
bus concussam. : concilia inter se animos  
regum, quos orta disensio distraxisse vide-  
tur, ut urbs nostra pristinis agendis merci-  
moniis, ex quibus ipsa vitam & spiritum du-  
cit,



cit, habeat, quo se, quo suos, quo tuos, id est,  
tam multos propter veræ fidei confessionem  
sedibus suis pulsos exules, & ad ipsam tan-  
quam ad commune hospitium confugien-  
tes, alat atque sustentet. Sic te laudabimus  
pro tua benignitate, & prædicabimus miseri-  
cordiam tuam in perpetuum, quia tu remit-  
tis iniquitates nostras & sanas infirmitates  
nostras. **Iuva DOMINE nos SPIRITU**  
tuo, & canemus nomini tuo canticum no-  
vum, quod hîc quidem inchoabimus, perfi-  
ciemus autem juncti lectissimo isti & beatis-  
simo omnium sanctorum, cum quibus nunc  
**COLERUS** triumphat, & angelorum  
choro, qui te laudat in infi-  
nita secula!

**F I N I S.**





